An. et vol. CII | 3 Septembris 2010 | N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

I

Quibus Beatae Alfonsae ab Immaculata Conceptione, saeculari nomine Anna Muttahupadathu, Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Animadverto me oblationem, doloris sacrificium destinavisse Dominum ».

Beata Alfonsa ab Immaculata Conceptione, saeculari nomine Anna Muttahupadathu appellata, hoc modo suam vitam designat, quae iam puella cum Domini nostri cruce coniungebatur. In oppido Kudamaloor, in regione Arpookara dioecesis Changanacherrensis Keralae status Indiae, die XIX mensis Augusti anno MCMX ex antiqua familia ritus Syro-Malabarensis orta est. Iuvenis se ad vitam religiosam vocari animadvertit atque non paucas post difficultates matrimonium detrectavit atque die II mensis Augusti anno MCMXXVIII Congregationem Clarissarum Franciscalium in oppido Bharananganam est ingressa. Diuturno morbo correpta die tantum XIX mensis Martii

anno MCMXXXI novitiatum ingredi potuit, nomen sibi sumens Sororem Alfonsam ab Immaculata Conceptione atque die XII mensis Augusti anno MCMXXXVI vota perpetua nuncupavit. Dominus Noster Iesus Christus suam sponsam ad perfectionem sanctitatis per regalem crucis viam perducere cupiebat. Eadem Beata suo in diario scripsit: «Christi crucis pars mihi esse commissa videtur». Etenim a professionis die acerbi sunt secuti continenter morbi, qui tamen serenitatem laetitiamque suetam itemque voluntatem suo in corpore Passionem Domini complendi non abstulerunt. Beata Alfonsa ab Immaculata Conceptione suum sic produxit misericordiae Domini ministerium, «qui pertransivit benefaciendo et sanando omnes»,[1] cum ipsa quoque pro fratrum salute pateretur atque perfectam Franciscalem laetitiam testificaretur. Hanc sustinens victimae partem pro dilectione in Dominum, Beata Alfonsa tranquille laetanterque suum terrestre iter in Clarissarum claustro pagi Bharananganam die XXVIII mensis Iulii anno MCMXLVI perfecit. Cum ipsa strenue pateretur, hoc ante oculos ponebat, cum diceret: «Meus Sponsus, cum in cruce pendebat, neque famulum neque consolatorem habebat; ego contra, eius sponsa, complures amicos habeo, qui me adiuvant et solantur». Humilitas ac laetitia effecerunt ut una cum Christi Iesu passione celeriter in perfectionis via procederet atque sanctitatis culmen attingeret.

Annorum decursu sanctitatis fama percrebrescente, Palaiensis Episcopus Processum Ordinarium Informativum anno MCMLV instituit. Congregatio de Causis Sanctorum facultatem fecit ut Episcopus Processum Apostolicum anno MCMLXXX celebraret, qui anno MCMLXXXI absolutus est. Suffragantibus Consultoribus Theologis in Congressu Peculiari die X mensis Iulii anno MCMLXXXIV necnon faventibus Patribus Cardinalibus Episcopisque in Sessione Ordinaria die XXIII mensis Octobris anno MCMLXXXIV congregatis, coram venerato Decessore Nostro Ioanne Paulo II, decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIV lectum est. Iis peractis iure statutis rebus, die VI mensis Iulii anno MCMLXXXV idem Summus Pontifex miraculum agnovit sanationem extraordinariam, Venerabilis Dei Servae Sororis Alfonsae ab Immaculata Conceptione intercessioni

[1] *Act* 10, 38.

adscriptam. Die VIII mensis Februarii anno MCMLXXXVI Summus Pontifex Ioannes Paulus II in urbe Kottayam Indiae sollemnem beatificationis ritum primae Beatae in Indorum fastis peregit.

Christiana plebs sua pro devotione continenter ad sanctos beatosque auxilium petitura se convertere solet. Sic die XIII mensis Novembris anno MCMXCIX, mirus eventus accidit, Beatae Alfonsae ab Immaculata Conceptione intercessioni assignatus, scilicet puer gravi morbo affectus, in sepulcro Beatae apud Sanctuarium oppidi Bharananganam antea positus, repente est sanatus. Hoc de eventu inquisitio dioecesana rite est constituta. Congressus Peculiaris Theologorum Episcoporumque sanationem hanc comprobavit, sic Nos Ipsi die I mensis Iulii anno MMVII facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum decretum de miraculo evulgaret. In consistorio diei I mensis Martii anno MMVIII Nos Ipsi sollemniter Beatae Alfonsae ab Immaculata Conceptione canonizationem decrevimus atque die XII mensis Octobris anno MMVIII in foro ante papalem Basilicam Sancti Petri sollemni ritui praesedimus. Inter sacra vitae christianae novensilis Sanctae claram testificationem laudavimus, quae Domini Matrem imitata, per suum virginalem amorem multum contulit ut vita divina in suarum sororum ceterorumque fidelium cordibus nasceretur et adolesceret.

Hodie igitur in Foro ante Petrianam Basilicam inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Caietanum Errico, Mariam Bernardam Butler, Alfonsam ab Immaculata Conceptione et Narcissam a Iesu Martillo Moran Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Probe novimus hanc spectabilem mulierem excelsum de christianis virtutibus testimonium perhibuisse, quae praesertim victimam sese obtulit pro infirmorum salute; itaque tam in fide quam in operibus proponitur omnibus imitanda.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die duodecimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri quarto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 102.851

II

Quibus Beato Bernardo Tolomei Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » (*Io* 15,13).

Beatus Bernardus Tolomei hanc evangelicam sententiam ex quo tempore aegrotis inservire coepit, suam peste affectis tradens vitam, penitus induit.

Senae die X mensis Maii anno MCCLXXII ortus, Bernardus apud baptismatis fontem Ioannis nomen recepit. A sodalibus Ordinis Fratrum Praedicatorum Senae institutus, a Rodulfo I Asburgensi miles renuntiatus est. Iuridiciali

disciplinae sua in urbe operam dedit. Sodalis praeterea Confraternitatis Disciplinatorum S. Mariae Noctis fuit, qui Scalarum valetudinario inserviebant. Cum caecus pedetemptim fieret, honorum cursum deseruit.

Ut perfectam christianam asceticamque vitam consequeretur, anno MCCCXIII una cum duobus civibus mercaturae artem exercentibus (scilicet Patricio de Patriciis et Ambrosio de Piccolhominibus), qui simul ad supra memoratam Confraternitatem pertinebant, Aconam concessit, quae ipsius domus possessionibus annumerabatur. Eo in loco Ioannes, qui interea nomen in Bernardum ob cultum erga sanctum illum abbatem Cisterciensem immutaverat, una cum sociis solitariam vitam duxit, cum precationi, operibus, lectioni divinae incumberet.

Sub fine anni MCCCXVIII et initio anni MCCCXIX, in precationem incumbens, per visum scalas scandentes vidit monachos, albis vestimentis indutos, qui, angelis iuvantibus, ad Iesum et Mariam accedebant, quod velut divinum signum, tanquam « Iacob scalam », putavit.

Ut iuridicam condicionem statueret, Bernardus una cum Patricio de Patriciis Episcopum Aretinum adiit, Guidonem Tarlati, ad quem illo tempore pertinebat Acona. Obtinuit ille ut monasterium S. Mariae de Monte Oliveto conderetur (die XXVI mensis Martii anno MCCCXIX). Eo ipso die in templo Sanctissimae Trinitatis Arretii in manibus Ioannis, monachi S. Benedicti Saxi, Episcopus religiosam eorum professionem ad S. Benedicti regulam recepit, albo vestimento erga Deiparam ob devotionem imposito.

Sic die I mensis Aprilis anno MCCCXIX monasterium Sanctae Mariae Montis Oliveti constitutum est, primario locato templi lapide, Beatae Virginis Mariae Nativitati dicati. Novi Instituti peculiaritas in eo stetit ut abbas singulis annis eligeretur. Bernardus propter oculorum infirmitatem hoc officium recusavit. Quocirca Patricius de Patriciis primus electus est abbas (die I mensis Septembris anno MCCCXIX), proinde Ambrosius de Piccolhominibus (die I mensis Septembris anno MCCCXX), tum Simon de Tura (die I mensis Septembris anno MCCCXXI).

Die I mensis Septembris anno MCCCXXII sodalium postulationem abnuere non potuit ideoque quartus a se conditi monasterii abbas factus est atque hoc munus usque ad mortem gessit. Documentum aliquod diei XXIV mensis Decembris anni MCCCXXVI testatur cardinalem Ioannem Caietani Orsini, Apostolicae Sedis legatum, ab impedimento ob visus defectum Bernardum liberasse, ut electio quae evenerat comprobaretur. Clemens VI Congregationem, quae iam X monasteria annumerabat, die XXI mensis Ianuarii anno

MCCCXLIV approbavit. Ut suae Institutionis posteritati consuleret, beatus Bernardus Tolomei a Clemente VI novam definitamque, die XXI mensis Ianuarii anno MCCCXLIV, Congregationis Benedictinae, S. Mariae Montis Oliveti appellatae, comprobationem obtinuit. Hoc modo beatus Bernardus peculiaris motus monastici Benedictini auctor fuit.

Praeter normam ipse XXVII per annos abbatis sustinuit munus; in Generali Capitulo praeterea, die IV mensis Maii anno MCCCXLVII, facultas ei tributa est, sodalibus haud rogatis sententiam, omnia disponendi: quibus de rebus spiritalis Bernardi praestantia emergit.

Beatus Bernardus suis monachis vitae sanctae, virtutum heroice exercitarum reliquit exempla, cum aliis inserviret et contemplationi vacaret. Cum notissima illa pestilentia ingrueret cumque concives monachosque iuvaret, die XX mensis Augusti anno MCCCXLVIII, una cum LXXXII monachis interiit.

Ex eius scriptis XLVIII epistulae et homilia supersunt, quae illius spiritalem vim, suam humilitatem, communitatis sensum, Bibliorum cognitionem demonstrant. Eius sanctitatis fama eiusque praestantia post eius obitum late sunt perlatae. Die IV mensis Decembris anno MDCXLV, S. Congregatio Rituum, Urbano VIII auctore, cultum «ab immemorabili» comprobavit. Die XXIV mensis Augusti anno MDCXLVII cursus incohatus est ut eius virtutes canonizationis gratia agnoscerentur. Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die XXXI mensis Augusti anno MDCCLXVIII est evulgatum. Positio super Causae reassumptione die XXI mensis Decembris anno MCMLXVIII a S. Congregatione Rituum est comprobata. Miraculum proinde est exhibitum alicuius iuvenis, qui anno MCMXLVI peritonite perforata in oppido Camogli est correptus. Dioecesana inquisitio Ianuae die VII mensis Aprilis anno MMIII absoluta est, quam Congregatio de Causis Sanctorum die III mensis Octobris anno MMIII approbavit. His peractis iure statutis rebus, Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo die III mensis Iulii anno MMVIII ederet. In Consistorio die XXI mensis Februarii anno MMIX sollemnem canonizationem Beati Bernardi Tolomei statuimus, die XXVI mensis Aprilis anno MMIX Nobis celebrandam.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatio-

ne praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Archangelum Tadini, Bernardum Tolomei, Nonium a Sancta Maria Álvares Pereira, Gertrudem Comensoli et Catharinam Volpicelli Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui eximias dedit religiosae pietatis operositatisque testificationes. Exoptamus igitur ut salutifera eius exempla magno sint hominibus qui nunc sunt emolumento, quo ipsi Christi vultum liquidius conspiciant.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

EGO BENEDICTUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 146.836

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

SALICENSIS

In Brasilia nova conditur dioecesis Salicensis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Valde sollicitus de maiore spirituali bono Christifidelium, Venerabilis Frater Paulus Cardoso da Silva, O. Carm., Episcopus Petrolinensis, audita Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliae, ab hac Apostolica Sede petivit ut, distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica praesertim sua, nova conderetur dioecesis. Post favens votum Venerabilis Fratris Laurentii Baldisseri, Archiepiscopi titulo Diocletianensis et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum Nos putavimus. Summa igitur Apostolica Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Petrolinensi separamus territorium, prout praesens civili lege circumscribitur, municipiorum: Salgueiro, Araripina, Bodocó, Cedro, Exu, Granito, Ipubi, Moreilândia, Ouricuri, Parnamirim, Serrita, Terra Nova, Trindade et Verdejante; a dioecesi autem Florestensi seiungimus territorium Cabrobó; atque ex ita distractis duobus territoriis novam constituimus dioecesim Salicensem. Sic conditae dioecesis Salicensis sedem in urbe Salgueiro ponimus, templumque paroeciale ibi situm, Deo in honorem Sancti Antonii dicatum, ad gradum ac dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus, in qua quidem Canonicorum Capitulum, ad iuris normam, iubemus institui. Praeterea novam dioecesim Salicensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Olindensi et Recifensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem metropolitanae Sedis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Laurentio Baldisseri, quem diximus, vel, ipso absente, illi qui curat negotia Sanctae Sedis in Brasilia, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito

Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo sexto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Ioannes Baptista card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 147.542

II

FOEDERATAE CIVITATES AMERICAE SEPTENTRIONALIS

Conditur Exarchatus Apostolicus pro christifidelibus ritus Syro-Malankarensis in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sollicitudinem gerentes Ecclesiarum Orientalium atque cupientes ut eaedem floreant et novo robore apostolico vigeant,[1] cogitamus nunc de christifidelibus ritus Syro-Malankarensis in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantibus. Audita quidem sententia Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, consiliis praehabitis Suae Beatitudinis Basilii Cleemis Thottunkal Archiepiscopi Maioris Trivandrensis Syrorum Malankarensium, Synodi Episcoporum Syro-Malankarensium necnon Praesidis Conferentiae Episcopalis Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis, re mature

[1] Cfr. *Orientalium Ecclesiarum,* 1.

perpensa, Apostolica Nostra potestate constituimus Exarchatum Apostolicum Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis pro christifidelibus ritus Syro-Malankarensis illic commorantibus. Novam hanc communitatem obnoxiam facimus Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus. Cetera secundum praescripta canonum Ecclesiarum Orientalium perficiantur. Expleta feliciter constitutione dicti Exarchatus, ad memoratam Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittatur.

Hanc denique Constitutionem Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet causis minime obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quinto mensis Iulii, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Leonardus card. Sandri
Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praef.

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*
Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 156.035

III

KARONGANA

In Malavio nova dioecesis constituitur Karongana appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in Malavio efficacius illorum christifidelium bonum promoveretur et ideo nova ibidem dioecesis constitueretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, habito favorabili voto Venerabilis Fratris Nicolai Girasoli, Archiepiscopi titulo Egnatini in Apulia atque Apostolici in Malavio Nuntii, ad Nos admovit huiusmodi petitionem. Quamobrem, illius Dicasterii precibus annuentes ac re bene perpensa, de apostolica Nostra auctoritate ea, quae

sequuntur, decernimus ac iubemus. A dioecesi Mzuzuensi totum territorium districtuum civilium, quod vulgo nuncupatur Karonga et Chipita, distrahimus, ex quo novam dioecesim Karonganam appellandam constituimus. Praecipimus etiam ut conditae dioecesis episcopalis sedes in urbe vulgo Karonga statuatur. Templum ibidem exstans, Deo in honorem Sanctae Mariae dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus. Karonganam Ecclesiam suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Blantyrensi atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Nicolao Girasoli quem diximus, vel, eo absente, illi, qui negotia curat Apostolicae Nuntiaturae in Malavio, eidem necessarias tribuentes et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Iulii, anno Domini bis millesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.

✠ Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Ivan card. Dias
Congr. pro Gentium Evangelizatione Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 156.161

HOMILIA

In Sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis.*

Eminenza, Eccellenza, Autorità,
Cari fratelli e sorelle,

oggi la Chiesa celebra una delle più importanti feste dell'anno liturgico dedicate a Maria Santissima: l'Assunzione. Al termine della sua vita terrena, Maria è stata portata in anima e corpo nel Cielo, cioè nella gloria della vita eterna, nella piena e perfetta comunione con Dio.

Quest'anno ricorre il sessantesimo anniversario da quando il Venerabile Papa Pio XII, il 1° novembre 1950, definì solennemente questo dogma, e vorrei leggere — anche se è un po' complicato — la forma della dogmatizzazione. Dice il Papa: « in tal modo l'augusta Madre di Dio, arcanamente unita a Gesù Cristo fin da tutta l'eternità con uno stesso decreto di predestinazione, Immacolata nella sua Concezione, Vergine illibata nella sua divina maternità, generosa Socia del Divino Redentore, che ha riportato un pieno trionfo sul peccato e sulle sue conseguenze, alla fine, come supremo coronamento dei suoi privilegi, ottenne di essere preservata dalla corruzione del sepolcro e, vinta la morte, come già il suo Figlio, di essere innalzata in anima e corpo alla gloria del Cielo, dove risplende Regina alla destra del Figlio suo, Re *immortale* dei secoli ».[1]

Questo, quindi, è il nucleo della nostra fede nell'Assunzione: noi crediamo che Maria, come Cristo suo Figlio, ha già vinto la morte e trionfa già nella gloria celeste nella totalità del suo essere, « in anima e corpo ».

San Paolo, nella seconda lettura di oggi, ci aiuta a gettare un po' di luce su questo mistero partendo dal fatto centrale della storia umana e della nostra fede: il fatto, cioè, della risurrezione di Cristo, che è « la primizia di coloro che sono morti ». Immersi nel Suo Mistero pasquale, noi siamo resi partecipi della sua vittoria sul peccato e sulla morte. Qui sta il segreto sorprendente e la realtà chiave dell'intera vicenda umana. San Paolo ci dice che tutti siamo « incorporati » in Adamo, il primo e vecchio uomo, tutti abbiamo la stessa eredità umana alla quale appartiene: la sofferenza, la morte, il peccato. Ma a

* Die 15 Augusti 2010.
[1] Cost. ap. *Munificentissimus Deus*, *AAS* 42 (1950), 768-769.

questa realtà che noi tutti possiamo vedere e vivere ogni giorno aggiunge una cosa nuova: noi siamo non solo in questa eredità dell'unico essere umano, incominciato con Adamo, ma siamo « incorporati » anche nel nuovo uomo, in Cristo risorto, e così la vita della Risurrezione è già presente in noi. Quindi, questa prima « incorporazione » biologica è incorporazione nella morte, incorporazione che genera la morte. La seconda, nuova, che ci è donata nel Battesimo, è « incorporazione » che dà la vita. Cito ancora la seconda Lettura di oggi; dice San Paolo: « Perché, se per mezzo di un uomo venne la morte, per mezzo di un uomo verrà anche la risurrezione dei morti. Come infatti in Adamo tutti muoiono, così in Cristo tutti riceveranno la vita. Ognuno però al suo posto: prima Cristo, che è la primizia; poi, alla sua venuta, quelli che sono di Cristo ».[2]

Ora, ciò che san Paolo afferma di tutti gli uomini, la Chiesa, nel suo Magistero infallibile, lo dice di Maria, in un modo e senso precisi: la Madre di Dio viene inserita a tal punto nel Mistero di Cristo da essere partecipe della Risurrezione del suo Figlio con tutta se stessa già al termine della vita terrena; vive quello che noi attendiamo alla fine dei tempi quando sarà annientato « l'ultimo nemico », la morte;[3] vive già quello che proclamiamo nel Credo « Aspetto la risurrezione dei morti e la vita del mondo che verrà ».

Allora ci possiamo chiedere: quali sono le radici di questa vittoria sulla morte prodigiosamente anticipata in Maria? Le radici stanno nella fede della Vergine di Nazareth, come testimonia il brano del Vangelo che abbiamo ascoltato:[4] una fede che è obbedienza alla Parola di Dio e abbandono totale all'iniziativa e all'azione divina, secondo quanto le annuncia l'Arcangelo. La fede, dunque, è la grandezza di Maria, come proclama gioiosamente Elisabetta: Maria è « benedetta fra le donne », « benedetto è il frutto del suo grembo » perché è « la madre del Signore », perché crede e vive in maniera unica la « prima » delle beatitudini, la beatitudine della fede. Elisabetta lo confessa nella gioia sua e del bambino che le sussulta in grembo: « E beata colei che ha creduto nell'adempimento di ciò che il Signore le ha detto ».[5] Cari amici! Non ci limitiamo ad ammirare Maria nel suo destino di gloria, come una persona molto lontana da noi: no! Siamo chiamati a guardare quanto il

[2] *1 Cor* 15, 21-24.
[3] Cfr. *1 Cor* 15, 26.
[4] *Lc* 1, 39-56.
[5] v. 45.

Signore, nel suo amore, ha voluto anche per noi, per il nostro destino finale: vivere tramite la fede nella comunione perfetta di amore con Lui e così vivere veramente.

A questo riguardo, vorrei soffermarmi su un aspetto dell'affermazione dogmatica, là dove si parla di assunzione alla gloria celeste. Noi tutti oggi siamo ben consapevoli che col termine « cielo » non ci riferiamo ad un qualche luogo dell'universo, a una stella o a qualcosa di simile: no. Ci riferiamo a qualcosa di molto più grande e difficile da definire con i nostri limitati concetti umani. Con questo termine « cielo » vogliamo affermare che Dio, il Dio fattosi vicino a noi non ci abbandona neppure nella e oltre la morte, ma ha un posto per noi e ci dona l'eternità; vogliamo affermare che in Dio c'è un posto per noi. Per comprendere un po' di più questa realtà guardiamo alla nostra stessa vita: noi tutti sperimentiamo che una persona, quando è morta, continua a sussistere in qualche modo nella memoria e nel cuore di coloro che l'hanno conosciuta ed amata. Potremmo dire che in essi continua a vivere una parte di questa persona, ma è come un'« ombra » perché anche questa sopravvivenza nel cuore dei propri cari è destinata a finire. Dio invece non passa mai e noi tutti esistiamo in forza del Suo amore. Esistiamo perché egli ci ama, perché egli ci ha pensati e ci ha chiamati alla vita. Esistiamo nei pensieri e nell'amore di Dio. Esistiamo in tutta la nostra realtà, non solo nella nostra « ombra ». La nostra serenità, la nostra speranza, la nostra pace si fondano proprio su questo: in Dio, nel Suo pensiero e nel Suo amore, non sopravvive soltanto un'« ombra » di noi stessi, ma in Lui, nel suo amore creatore, noi siamo custoditi e introdotti con tutta la nostra vita, con tutto il nostro essere nell'eternità.

È il suo Amore che vince la morte e ci dona l'eternità, ed è questo amore che chiamiamo « cielo »: Dio è così grande da avere posto anche per noi. E l'uomo Gesù, che è al tempo stesso Dio, è per noi la garanzia che essere-uomo ed essere-Dio possono esistere e vivere eternamente l'uno nell'altro. Questo vuol dire che di ciascuno di noi non continuerà ad esistere solo una parte che ci viene, per così dire, strappata, mentre altre vanno in rovina; vuol dire piuttosto che Dio conosce ed ama tutto l'uomo, ciò che noi siamo. E Dio accoglie nella Sua eternità ciò che *ora*, nella nostra vita, fatta di sofferenza e amore, di speranza, di gioia e di tristezza, cresce e diviene. Tutto l'uomo, tutta la sua vita viene presa da Dio ed in Lui purificata riceve l'eternità. Cari Amici! Io penso che questa sia una verità che ci deve riempire di gioia profonda. Il Cristianesimo non annuncia solo una qualche salvezza dell'anima in

un impreciso al di là, nel quale tutto ciò che in questo mondo ci è stato prezioso e caro verrebbe cancellato, ma promette la vita eterna, «la vita del mondo che verrà»: niente di ciò che ci è prezioso e caro andrà in rovina, ma troverà pienezza in Dio. Tutti i capelli del nostro capo sono contati, disse un giorno Gesù.[6] Il mondo definitivo sarà il compimento anche di questa terra, come afferma san Paolo: «la creazione stessa sarà liberata dalla schiavitù della corruzione per entrare nella libertà della gloria dei figli di Dio».[7] Allora si comprende come il cristianesimo doni una speranza forte in un futuro luminoso ed apra la strada verso la realizzazione di questo futuro. Noi siamo chiamati, proprio come cristiani, ad edificare questo mondo nuovo, a lavorare affinché diventi un giorno il «mondo di Dio», un mondo che sorpasserà tutto ciò che noi stessi potremmo costruire. In Maria Assunta in cielo, pienamente partecipe della Risurrezione del Figlio, noi contempliamo la realizzazione della creatura umana secondo il «mondo di Dio».

Preghiamo il Signore affinché ci faccia comprendere quanto è preziosa ai Suo occhi tutta la nostra vita; rafforzi la nostra fede nella vita eterna; ci renda uomini della speranza, che operano per costruire un mondo aperto a Dio, uomini pieni di gioia, che sanno scorgere la bellezza del mondo futuro in mezzo agli affanni della vita quotidiana e in tale certezza vivono, credono e sperano.

Amen!

[6] Cfr. *Mt* 10, 30.
[7] *Rm* 8, 21.

NUNTIUS

Ad Congressum Laicorum Catholicorum Asiae.*

To my Venerable Brother
Cardinal Stanisław Rylko
President of the Pontifical Council for the Laity

I was pleased to learn that the Congress of Asian Catholic Laity will be held in Seoul from 31 August to 5 September 2010. I ask you kindly to convey my cordial greetings and prayerful good wishes to the Bishops, priests, religious and lay faithful from Asia assembled for this significant pastoral initiative promoted by the Pontifical Council for the Laity. The theme chosen for the Congress — *Proclaiming Jesus Christ in Asia Today* — is most timely, and I am confident that it will encourage and guide the lay faithful of the continent in bearing joyful witness to the Risen Lord and to the life-giving truth of his holy word.

Asia, home to two-thirds of the world's people, the cradle of great religions and spiritual traditions, and the birthplace of diverse cultures, is currently undergoing unprecedented processes of economic growth and social transformation. Asia's Catholics are called to be a sign and promise of that unity and communion — communion with God and among men — which the whole human family is meant to enjoy and which Christ alone makes possible. As part of the mosaic of the continent's different peoples, cultures and religions, they have been entrusted with a great mission: that of bearing witness to Jesus Christ, the universal Savior of mankind. This is the supreme service and the greatest gift that the Church can offer to the people of Asia, and it is my hope that the present Conference will provide renewed encouragement and direction in taking up this sacred mandate.

"The peoples of Asia need Jesus Christ and his Gospel. Asia is thirsting for the living water that Jesus alone can give".[1] These prophetic words of the Servant of God John Paul II still resound as a summons addressed to each member of the Church in Asia. If the lay faithful are to take up this mission,

* Die 10 Augusti 2010.
[1] *Ecclesia in Asia*, 50.

they need to become ever more conscious of the grace of their Baptism and the dignity which is theirs as sons and daughters of God the Father, sharers in the death and resurrection of Jesus his Son, and anointed by the Holy Spirit as members of Christ's mystical Body which is the Church. In union of mind and heart with their Pastors, and accompanied at every step of their journey of faith by a sound spiritual and catechetical formation, they need to be encouraged to cooperate actively not only in building up their local Christian communities but also in making new pathways for the Gospel in every sector of society. Vast horizons of mission are now opening up before the lay men and women of Asia in their efforts to bear witness to the truth of the Gospel; I think especially of the opportunities offered by their example of Christian married love and family life, their defense of God's gift of life from conception to natural death, their loving concern for the poor and the oppressed, their willingness to forgive their enemies and persecutors, their example of justice, truthfulness and solidarity in the workplace, and their presence in public life.

The increasing numbers of committed, trained and enthusiastic lay persons is thus a sign of immense hope for the future of the Church in Asia. Here I wish to single out with gratitude the outstanding work of the many catechists who bring the riches of the Catholic faith to young and old alike, drawing individuals, families and parish communities to an ever deeper encounter with the Risen Lord. The apostolic and charismatic movements are also a special gift of the Spirit, since they bring new life and vigor to the formation of the laity, particularly families and young people. The associations and ecclesial movements devoted to the promotion of human dignity and justice concretely demonstrate the universality of the Gospel message of our adoption as children of God. Along with the many individuals and groups committed to prayer and works of charity, as well as the contribution made by pastoral and parish councils, these groups play an important role in helping the particular Churches of Asia to be built up in faith and love, strengthened in communion with the universal Church and renewed in zeal for the spread of the Gospel.

For this reason, I pray that the present Congress will highlight the indispensable role of the lay faithful in the Church's mission and develop specific programs and initiatives to assist them in their task of proclaiming Jesus Christ in Asia today. I am confident that the deliberations of the Congress will stress that the Christian life and calling must be seen first and foremost

as a source of sublime happiness and a gift to be shared with others. Every Catholic should be able to say, with the Apostle Paul, "For me, to live is Christ".[2] Those who have found in Jesus the truth, joy and beauty which give meaning and direction to their lives will naturally desire to bring this grace to others. Undaunted by the presence of difficulties, or the enormity of the task at hand, they will trust in the mysterious presence of the Holy Spirit who is always at work in the hearts of individuals, in their traditions and cultures, mysteriously opening doors to Christ as "the way, and the truth and the life",[3] and the fulfilment of every human aspiration.

With these sentiments, I invoke upon all taking part in the Congress a fresh outpouring of the Holy Spirit and I willingly join in the prayer which will accompany these days of study and discernment. May the Church in Asia bear ever more fervent witness to the incomparable beauty of being a Christian, and proclaim Jesus Christ as the one Savior of the world. Commending those present to the loving intercession of Mary, Mother of the Church, I cordially impart my Apostolic Blessing as a pledge of joy and peace in the Lord.

From the Vatican, 10 August 2010.

BENEDICTUS PP. XVI

[2] *Phil* 1:21.
[3] *Jn* 14:6.

CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET BOSNIAM ET HERZEGOVIAM DE SPIRITALI ADIUMENTO PRAESTANDO CHRISTIFIDELIBUS CATHOLICIS, COPIARUM MILITARIUM CONSORTIBUS BOSNIAE ET HERZEGOVIAE

Ugovor

između Svete Stolice i Bosne i Hercegovine

o dušobrižništvu katoličkih vjernika, pripadnika Oružanih snaga Bosne i Hercegovine

Sveta Stolica i Bosna Hercegovina

– želeći na trajan i prikladan način urediti dušobrižničku brigu za vjernike katolike, pripadnike Oružanih snaga Bosne i Hercegovine,

dogovorili su se o sljedećem:

Član 1.

1. Sveta Stolica će u Bosni i Hercegovini osnovati Vojni ordinarijat za dušobrižništvo katoličkih vjernika, pripadnika Oružanih snaga Bosne i Hercegovine.

2. Vojni ordinarijat, koji se prema Apostolskoj konstituciji "Spirituali militum curae" u kanonskom pravu izjednačava s biskupijom, imat će na čelu biskupa, vojnog ordinarija. On će imati sva prava i dužnosti kao i dijecezanski biskup.

3. Vojni ordinarij moći će istovremeno obavljati i službu dijecezanskog biskupa.

4. Vlast upravljanja (jurisdikcija) vojnog ordinarija je osobna, redovna i vlastita, ali zajednička s vlašću mjesnog ordinarija.

5. Vojni ordinarij, po pravu, član je Biskupske konferencije Bosne i Hercegovine.

Član 2.

Vojnog ordinarija slobodno će imenovati Vrhovni svećenik, prethodno o tome obavijestivši Vijeće ministara Bosne i Hercegovine.

Član 3.

Vojni ordinarijat je sastavni dio vjerske službe koja je uključena u strukturu Ministarstva odbrane i Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, u okviru ostvarivanja vjerskih sloboda koje Bosna i Hercegovina garantira vjernicima svih religija.

Član 4.

Vojnom ordinariju će, prema kanonskim odredbama, pomagati generalni vikar kojeg će sam odabrati, i vojni kapelani.

Član 5.

1. Prezbiterij Vojnog ordinarijata sačinjavat će dijecezanski i redovnički svećenici, određeni za dušobrižništvo Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, uz prethodno dopuštenje vlastitog dijecezanskog biskupa, odnosno redovničkog poglavara.

2. Članovi svjetovnog klera moći će biti inkardinirani u Vojni ordinarijat, prema propisima kanonskog prava.

3. Svećenici koji su za stalno određeni za dušobrižništvo Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, tako da im to bude glavna služba, nazivat će se kapelanima Vojnog ordinarijata; imat će kanonska prava i dužnosti kao i župnici ili župni vikari.

4. Vojni ordinarij, po potrebi i u dogovoru s mjerodavnim biskupom ili redovničkim poglavarom, moći će tražiti svećenike i redovnike za povremenu ili vremenski ograničenu službu u Vojnom ordinarijatu.

Član 6.

Prema odredbama kanonskog prava, pod jurisdikciju Vojnog ordinarijata potpadaju:

a) vojnici Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, te druge osobe stalno zaposlene u Oružanim snagama Bosne i Hercegovine;

b) članovi njihovih porodica, to jest bračni drugovi i njihova djeca, pa i ona koja su punoljetna, ako žive s roditeljima u istom domu, kao i njihova rodbina i ostale osobe koje s njima dijele isto prebivalište;

c) kadeti vojnih škola, kao i oni koji obavljaju službu u vojnim ustanovama;

d) svi vjernici, muškarci i žene, pa bili i članovi neke redovničke ustanove, koji stalno obavljaju službu koju im je povjerio vojni ordinarij ili im je za nju dao svoju saglasnost.

Član 7.

1. Svi djelatnici Vojnog ordinarijata, kao stalni kapelani ili svećenici koji su na ispomoći, zadržavajući stanje vlastito svom staležu, u pastoralnom radu uklopit će se u vojnu sredinu i služit će se postojećim ustrojem Oružanih snaga Bosne i Hercegovine.

2. Kapelani i svi djelatnici Vojnog ordinarijata obavljat će svoju službu, poštujući pravila vojnih organa, prema odredbama kanonskog prava i u skladu sa odredbama vojnog ordinarija.

3. Ako bi član klera Vojnog ordinarijata morao biti podvrgnut disciplinskim mjerama vojne prirode, nadležni starješina, poštujući pravila vojne službe, preduzet će predvidene korake, uz konsultaciju sa vojnim ordinarijem; Vojni ordinarij obavijestit će nadležnog vojnog zapovjednika o mogućim kanonskim kaznenim mjerama koje je preduzeo u odredenim slučajevima.

Član 8.

Vojni ordinarij slobodno će komunicirati s kapelanima i s drugim djelatnicima u dušobrižništvu Vojnog ordinarijata, slat će im pogodna uputstva o dušobrižničkoj službi i od njih će tražiti povremene izvještaje o obavljanju njihove službe.

Član 9.

Vojni ordinarijat svoje sjedište će imati u Sarajevu.

Član 10.

1. Ministarstvo odbrane Bosne i Hercegovine brinut će se za materijalno izdržavanje osoblja Vojnog ordinarijata.

2. Ministarstvo odbrane Bosne i Hercegovine osigurat će materijalne uvjete potrebne za djelovanje Vojnog ordinarijata, prije svega dolično sjedište vojnog ordinarija i njegove kurije, te prikladna mjesta za bogosluženje.

Član 11.

1. Naknadnim sporazumom izmedu Vijeća ministara Bosne i Hercegovine, koje će zastupati nadležna ministarstva, i Biskupske konferencije Bosne i Hercegovine, sačinit će se pravilnik s razradenim pojedinostima o djelovanju Vojnog ordinarijata.

2. Do sklapanja toga sporazuma, ostaje na snazi "Sporazum o uspostavi, ustroju i načinu djelovanja katoličkog dušobrižništva kao sastavnog dijela jedinstvene vjerske službe u Ministarstvu odbrane i u Oružanim snagama Bosne i Hercegovine", broj 06-02-3-1905-13/07 od 11. septembra 2007. godine, u svemu što nije u suprotnosti sa ovim ugovorom.

Član 12.

Ako bi se pojavila kakva dvojba u tumačenju ili provedbi ovoga ugovora, dvije će visoke ugovorne strane uzajamnim dogovorom tražiti pravedno rješenje.

Član 13.

1. Ovaj ugovor će biti ratificiran prema pravnim propisima obje visoke ugovorne strane i stupit će na snagu u trenutku razmjene ratifikacijskih instrumenata.

2. U slučaju da jedna od visokih ugovornih strana bude smatrala da su se bitno promijenile prilike u kojima je sklopljen ovaj ugovor, započet će pregovore o njegovom prilagođavanju novim okolnostima.

Potpisano u Sarajevu, dana 08. aprila 2010. godine, u dva izvorna i jednako vjerodostojna primjerka na bosanskom, hrvatskom, srpskom i talijanskom jeziku.

ZA SVETU STOLICU
Apostolski nuncij
Nadbiskup Alessandro D'Errico

✠ *Alessandro D'Errico*

ZA BOSNU I HERCEGOVINU
Ministar odbrane
dr. Selmo Cikotić

Selmo Cikotić

Ugovor

između Svete Stolice i Bosne i Hercegovine

o dušobrižništvu katoličkih vjernika, pripadnika Oružanih snaga Bosne i Hercegovine

Sveta Stolica i Bosna Hercegovina

– želeći na trajan i prikladan način urediti dušobrižničku skrb za vjernike katolike, pripadnike Oružanih snaga Bosne i Hercegovine,

dogovorili su se o sljedećem:

Članak 1.

1. Sveta Stolica će u Bosni i Hercegovini osnovati Vojni ordinarijat za dušobrižništvo katoličkih vjernika, pripadnika Oružanih snaga Bosne i Hercegovine.

2. Vojni ordinarijat, koji se prema Apostolskoj konstituciji "Spirituali militum curae" u kanonskome pravu izjednačuje s biskupijom, imati će na čelu biskupa, vojnoga ordinarija. On će imati sva prava i dužnosti kao i dijecezanski biskup.

3. Vojni ordinarij moći će istodobno obnašati i službu dijecezanskoga biskupa.

4. Vlast upravljanja (jurisdikcija) vojnoga ordinarija je osobna, redovita i vlastita, ali skupna s vlašću mjesnoga ordinarija.

5. Vojni ordinarij, po pravu, član je Biskupske konferencije Bosne i Hercegovine.

Članak 2.

Vojnoga ordinarija slobodno će imenovati Vrhovni svećenik, prethodno o tome izvijestivši Vijeće ministara Bosne i Hercegovine.

Članak 3.

Vojni ordinarijat je sastavni dio vjerske službe koja je uključena u strukturu Ministarstva obrane i Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, u okviru ostvarivanja vjerskih sloboda koje Bosna i Hercegovina garantira vjernicima svih religija.

Članak 4.

Vojnom će ordinariju, prema kanonskim odredbama, pomagati generalni vikar kojega će sam odabrati, i vojni kapelani.

Članak 5.

1. Prezbiterij Vojnoga ordinarijata sačinjavati će dijecezanski i redovnički svećenici, određeni za dušobrižništvo Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, uz prethodno dopuštenje vlastitoga dijecezanskog biskupa, odnosno redovničkoga poglavara.

2. Članovi svjetovnoga klera moći će biti inkardinirani u Vojni ordinarijat, prema propisima kanonskoga prava.

3. Svećenici koji su za stalno određeni za dušobrižništvo Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, tako da im to bude glavna služba, nazivati će se kapelanima Vojnoga ordinarijata; imati će kanonska prava i dužnosti kao i župnici ili župni vikari.

4. Vojni ordinarij, po potrebi i u dogovoru s mjerodavnim biskupom ili redovničkim poglavarom, moći će tražiti svećenike i redovnike za povremenu ili vremenski ograničenu službu u Vojnome ordinarijatu.

Članak 6.

Prema odredbama kanonskoga prava, pod jurisdikciju Vojnoga ordinarijata potpadaju:

a) vojnici Oružanih snaga Bosne i Hercegovine, te druge osobe stalno uposlene u Oružanim snagama Bosne i Hercegovine;

b) članovi njihovih obitelji, to jest bračni drugovi i njihova djeca, pa i ona koja su punoljetna, ako žive s roditeljima u istom domu, kao i njihova rodbina i ostale osobe koje s njima dijele isto prebivalište;

c) kadeti vojnih škola, kao i oni koji obnašaju službu u vojnim ustanovama;

d) svi vjernici, muškarci i žene, pa bili i članovi neke redovničke ustanove, koji stalno obnašaju službu koju im je povjerio vojni ordinarij ili im je za nju dao svoju suglasnost.

Članak 7.

1. Svi djelatnici Vojnoga ordinarijata, kao stalni kapelani ili svećenici koji su na ispomoći, zadržavajući stanje vlastito svom staležu, u pastoralnome radu uklopiti će se u vojnu sredinu i služiti će se postojećim ustrojem Oružanih snaga Bosne i Hercegovine.

2. Kapelani i svi djelatnici Vojnoga ordinarijata obnašati će svoju službu, poštujući pravila vojnih organa, prema odredbama kanonskoga prava i sukladno odredbama vojnoga ordinarija.

3. Ako bi član klera Vojnoga ordinarijata morao biti podvrgnut stegovnim mjerama vojne naravi, nadležni zapovjednik, poštujući pravila vojne službe, poduzeti će predviđene korake, uz konzultaciju sa vojnim ordinarijem; Vojni ordinarij izvijestiti će nadležnoga vojnoga zapovjednika o možebitnim kanonskim kaznenim mjerama koje je poduzeo u određenim slučajevima.

Članak 8.

Vojni ordinarij slobodno će komunicirati s kapelanima i s drugim djelatnicima u dušobrižništvu Vojnoga ordinarijata, slati će im pogodne upute o dušobrižničkoj službi i od njih će tražiti povremena izvješća o obnašanju njihove službe.

Članak 9.

Vojni ordinarijat svoje će sjedište imati u Sarajevu.

Članak 10.

1. Ministarstvo obrane brinuti će se za materijalno uzdržavanje osoblja Vojnoga ordinarijata.

2. Ministarstvo obrane Bosne i Hercegovine osigurati će materijalne uvjete potrebne za djelovanje Vojnoga ordinarijata, prije svega dolično sjedište vojnoga ordinarija i njegove kurije, te prikladna mjesta za bogoštovlje.

Članak 11.

1. Naknadnim sporazumom između Vijeća ministara Bosne i Hercegovine, koje će zastupati nadležna ministarstva, i Biskupske konferencije Bosne i Hercegovine, priredıti će se pravilnik s razrađenim pojedinostima o djelovanju Vojnoga ordinarijata.

2. Do sklapanja toga sporazuma, ostaje na snazi "Sporazum o uspostavi, ustrojstvu i načinu djelovanja katoličkog dušobrižništva kao sastavnoga dijela jedinstvene vjerske službe u Ministarstvu obrane i u Oružanim snagama Bosne i Hercegovine", broj 06-02-3-1905-13/07 od 11. rujna 2007. godine, u svemu što nije u suprotnosti sa ovim ugovorom.

Članak 12.

Ako bi se pojavila kakva dvojba u tumačenju ili provedbi ovoga ugovora, dvije će visoke ugovorne strane uzajamnim dogovorom tražiti pravedno rješenje.

Članak 13.

1. Ovaj će Ugovor biti ratificiran prema pravnim propisima obiju visokih ugovornih strana i stupiti će na snagu u trenutku razmjene ratifikacijskih instrumenata.

2. U slučaju da jedna od visokih ugovornih strana bude smatrala da su se bitno promijenile prilike u kojima je sklopljen ovaj ugovor, započeti će pregovore o njegovoj prilagodbi novim okolnostima.

Potpisano u Sarajevu, dana 08. travnja 2010. godine, u dva izvorna i jednako vjerodostojna primjerka na bosanskome, hrvatskome, srpskome i talijanskome jeziku.

ZA SVETU STOLICU
Apostolski nuncij
Nadbiskup Alessandro D'Errico

✠ *Alessandro D'Errico*

ZA BOSNU I HERCEGOVINU
Ministar odbrane
dr. Selmo Cikotić

Selmo Cikotić

Уговор

између Свете Столице и Босне и Херцеговине

о душобрижништву католичких вјерника припадника Оружаних снага Босне и Херцеговине

Света Столица и Босна Херцеговина

– желећи да на трајан и одговарајући начин уреде душобрижничку службу за вјернике католике, припаднике Оружаних снага Босне и Херцеговине,

договорили су се о сљедећем:

Члан 1.

1. Света Столица ће у Босни и Херцеговини основати Војни ординаријат за душобрижништво католичких вјерника, припадника Оружаних снага Босне и Херцеговине.

2. Војни ординаријат, који се према Апостолској конституцији "Спиритуали милитум цурае" („Spirituali militum curae") у канонском праву изједначава с бискупијом, имаће на челу бискупа, војног ординарија. Он ће имати сва права и дужности као и дијецезански бискуп.

3. Војни ординариј моћи ће истовремено обављати и службу дијецезанског бискупа.

4. Власт управљања (јурисдикција) војног ординарија је лична, редовна и сопствена, али заједничка са влашћу мјесног ординарија.

5. Војни ординариј, по праву, члан је Бискупске конференције Босне и Херцеговине.

Члан 2.

Војног ординарија слободно ће именовати Врховни свештеник, обавијестивши претходно о томе Савјет министара Босне и Херцеговине.

Члан 3.

Војни ординаријат је саставни дио вјерске службе која је укључена у структуру Министарства одбране и Оружаних снага Босне и Херцеговине, у оквиру остваривања вјерских слобода које Босна и Херцеговина гарантује вјерницима свих религија.

Члан 4.

Војном ће ординарију, према канонским одредбама, помагати генерални викар којег ће сам одабрати, и војни капелани.

Члан 5.

1. Презбитериј Војног ординаријата сачињаваће дијецезански и редовнички свештеници, одређени за душобрижништво Оружаних снага Босне и Херцеговине, уз претходно допуштење сопственог дијецезанског бискупа, односно редовничког поглавара.

2. Чланови свјетовног клера моћи ће бити инкардинирани у Војни ординаријат, према прописима канонског права.

3. Свештеници који су за стално одређени за душобрижништво Оружаних снага Босне и Херцеговине, тако да им то буде главна служба, зваће се капеланима Војног ординаријата; имаће канонска права и дужности као и жупници или жупни викари.

4. Војни ординариј, по потреби и у договору са надлежним бискупом или редовничким поглаваром, моћи ће тражити свештенике и редовнике за повремену или временски ограничену службу у Војном ординаријату.

Члан 6.

Према одредбама канонског права, под јурисдикцију Војног ординаријата потпадају:

а) војници Оружаних снага Босне и Херцеговине, те друга лица стално запослена у Оружаних снага Босне и Херцеговине;

б) чланови њихових породица, то јест брачни другови и њихова дјеца, па и она која су пунољетна, ако живе са родитељима у истом дому, као и њихова родбина и остала лица која са њима дијеле исто пребивалиште;

ц) кадети војних школа, као и они који обављају службу у војним установама;

д) свивјерници, мушкарци и жене, па били и чланови неке редовничке установе, који стално обављају службу коју им је повјерио војни ординариј или им је за њу дао своју сагласност.

Члан 7.

1. Сви запосленици Војног ординаријата, као стални капелани или свештеници који су на испомоћи, задржавајући сопствено стање свом сталежу, у пасторалном раду уклопиће се у војну средину и служиће се постојећим уређењем Оружаних снага Босне и Херцеговине.

2. Капелани и сви запосленици Војног ординаријата обављаће своју службу, поштујући правила војних органа, према одредбама канонског права и у складу са одредбама војног ординарија.

3. Ако би члан клера Војног ординаријата морао бити подвргнут казненим мјерама војне природе, надлежни старјешина, поштујући правила војне службе, предузеће предвиђене кораке, уз консултацију са војним ординаријем; Војни ординариј ће да обавијести надлежног војног старјешину о могућим канонским казненим мјерама које је предузео у одређеним случајевима.

Члан 8.

Војни ординариј слободно ће комуницирати са капеланима и са другим запосленицима у душобрижништву Војног ординаријата, слаће им потребна упутства о душобрижничкој служби и од њих ће тражити повремене извјештаје о обављању њихове службе.

Члан 9.

Војни ординаријат имаће своје сједиште у Сарајеву.

Члан 10.

1. Министарство одбране бринуће се за материјално издржавање лица у Војном ординаријату.

2. Министарство одбране обезбиједиће материјалне услове потребне за дјеловање Војног ординаријата, прије свега достојно сједиште војног ординарија и његове курије, те одговарајућа мјеста за божију службу.

Члан 11.

1. Накнадним споразумом између Савјета министара Босне и Херцеговине, које ће заступати надлежна министарства, и Бискупске конференције Босне и Херцеговине, сачиниће се правилник са разрађеним појединостима о дјеловању Војног ординаријата.

2. До склапања тог споразума, остаје на снази "Споразум о успостављању, организацији и начину дјеловања католичког душобрижништва, као саставног дијела јединствене вјерске службе у Министарству одбране и у Оружаним снагама Босне и Херцеговине", број 06-02-3-1905-13/07 од 11. септембра 2007. године, у свему што није у супротности са овим уговором.

Члан 12.

Ако би се појавила каква дилема у тумачењу или провођењу овог уговора, двије ће високе уговорне стране узајамним договором тражити праведно рјешење.

Члан 13.

1. Овај уговор ће бити ратификован према правним прописима обију високих уговорних страна и ступиће на снагу у тренутку размјене ратификованих инструмената.

2. У случају да једна од високих уговорних страна буде сматрала да су се битно промијениле прилике у којима је склопљен овај уговор, започеће преговоре о његовом прилагођавању новим околностима.

Потписано у Сарајеву, дана 08. априла 2010. године, у два изворна и једнако вјеродостојна примјерка на босанском, хрватском, српском и талијанском језику.

ЗА СВЕТУ СТОЛИЦУ
Апостолски нунциј
Надбискуп Алессандро Д'Еррико

✠ *Alessandro D'Errico*

ЗА БОСНУ И ХЕРЦЕГОВИНУ
Министар одбране
Др Селмо Цикотић

Selmo Cikotić

Accordo

tra la Santa Sede e la Bosnia ed Erzegovina

circa l'assistenza religiosa ai fedeli cattolici, membri delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina

La Santa Sede e la Bosnia ed Erzegovina

– desiderando promuovere, in maniera stabile e conveniente, l'assistenza religiosa ai fedeli cattolici, membri delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina,

hanno stabilito di comune accordo quanto segue:

Articolo 1

1. La Santa Sede erigerà in Bosnia ed Erzegovina un Ordinariato Militare per l'assistenza religiosa ai fedeli cattolici, membri delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina.

2. L'Ordinariato Militare, canonicamente assimilato ad una diocesi secondo la Costituzione Apostolica *Spirituali militum curae*, sarà retto da un Vescovo, Ordinario Militare. Egli avrà tutti i diritti e i doveri analoghi a quelli del Vescovo diocesano.

3. L'Ordinario Militare potrà contemporaneamente esercitare anche l'incarico di Vescovo diocesano.

4. La potestà di giurisdizione dell'Ordinario Militare è personale, ordinaria e propria, ma cumulativa con la giurisdizione dell'Ordinario del luogo.

5. L'Ordinario Militare è, di diritto, membro della Conferenza Episcopale della Bosnia ed Erzegovina.

Articolo 2

L'Ordinario Militare sarà nominato liberamente dal Sommo Pontefice, previa notificazione al Consiglio dei Ministri della Bosnia ed Erzegovina.

Articolo 3

L'Ordinariato Militare è parte integrante del servizio religioso che è inserito nella struttura del Ministero della Difesa e delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina, nel quadro dell'esercizio delle libertà religiose che la Bosnia ed Erzegovina garantisce ai fedeli di tutte le religioni.

Articolo 4

In conformità alle norme canoniche, l'Ordinario Militare sarà coadiuvato da un Vicario Generale scelto da lui stesso, nonché dai Cappellani Militari.

Articolo 5

1. Il presbiterio dell'Ordinariato Militare sarà formato da presbiteri diocesani e religiosi, destinati alla cura pastorale delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina, previa licenza del proprio Vescovo diocesano o del Superiore religioso.

2. I membri del clero secolare potranno essere incardinati nell'Ordinariato Militare, secondo le norme del diritto canonico.

3. I sacerdoti designati, in maniera stabile e con incarico principale, alla cura pastorale delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina, saranno chiamati Cappellani dell'Ordinariato Militare; essi godranno dei diritti e doveri canonici analoghi a quelli dei parroci o dei vice-parroci.

4. Secondo le necessità, e d'intesa con il loro Vescovo o Superiore religioso, l'Ordinario Militare potrà richiedere sacerdoti e religiosi che avranno un incarico anche nell'Ordinariato Militare, per un servizio temporaneo o occasionale.

Articolo 6

Secondo le norme del Diritto Canonico, appartengono alla giurisdizione dell'Ordinariato Militare:

a) militari delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina, come anche altri impiegati stabili delle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina;

b) quanti compongono le loro famiglie, cioè coniugi e figli, anche maggiorenni, se coabitano con i genitori nella stessa casa, come anche i loro parenti ed altre persone che condividano la stessa abitazione;

c) i cadetti delle scuole militari, e coloro che prestano servizio presso gli istituti militari;

d) tutti i fedeli, uomini e donne, membri o meno di un Istituto religioso, che ricoprono stabilmente un ufficio loro affidato dall'Ordinario Militare o con suo consenso.

Articolo 7

1. Tutti coloro che svolgono servizio nell'ambito dell' Ordinariato Militare, come cappellani stabili o come sacerdoti di complemento, nell'esercizio della loro attività pastorale, pur mantenendo la loro condizione propria, si inseriranno nell'ambiente militare e usufruiranno delle strutture esistenti in seno alle Forze Armate di Bosnia ed Erzegovina.

2. I Cappellani e tutti coloro che svolgono attività pastorale nell'Ordinariato Militare eserciteranno il loro servizio nel rispetto delle regole degli organi militari, secondo le norme canoniche e secondo le prescrizioni dell'Ordinario Militare.

3. Se qualche membro del Clero dell'Ordinariato Militare dovesse essere soggetto a sanzioni disciplinari di carattere militare, il Superiore gerarchico, rispettando le regole del servizio militare, vi provvederà consultando l'Ordinario Militare; mentre l'Ordinario Militare comunicherà eventuali sanzioni canoniche al Superiore gerarchico militare per i provvedimenti del caso.

Articolo 8

L'Ordinario Militare comunicherà liberamente con i cappellani e coloro che svolgono attività pastorale nell'Ordinariato Militare, invierà loro le opportune istruzioni sul servizio religioso, e richiederà loro periodiche relazioni sullo svolgimento del loro ufficio.

Articolo 9

L'Ordinariato Militare avrà sede in Sarajevo.

Articolo 10

1. Il Ministero della Difesa si prenderà cura del sostentamento materiale del personale dell'Ordinariato Militare.

2. Il Ministero della Difesa garantirà le condizioni materiali necessarie per il funzionamento dell'Ordinariato Militare, in particolare una sede decorosa per l'Ordinario Militare e per la sua Curia, e adeguati luoghi di culto.

Articolo 11

1. Con successiva Intesa tra il Consiglio dei Ministri della Bosnia ed Erzegovina, rappresentato dai Ministeri competenti, e la Conferenza Episcopale della Bosnia ed Erzegovina, sarà redatto un Regolamento relativo a questioni più particolareggiate, riguardanti il funzionamento dell'Ordinariato Militare.

2. Fino alla stipulazione di tale Intesa, rimane in vigore l'«Intesa sulla costituzione, struttura e modalità dell'attività dell'assistenza spirituale cattolica come parte integrante del servizio religioso unitario nel Ministero della Difesa e nelle Forze Armate della Bosnia ed Erzegovina» N. 06-02-3-1905-13/07 dell'11 settembre 2007, in tutto quello che non è in contraddizione con questo Accordo.

Articolo 12

Se sorgesse qualche dubbio nell'interpretazione o nell'applicazione del presente Accordo, le Alte Parti Contraenti cercheranno una giusta soluzione per mezzo di una mutua intesa.

Articolo 13

1. Il presente Accordo sarà ratificato secondo le norme legali proprie delle Alte Parti Contraenti ed entrerà in vigore al momento dello scambio degli strumenti di ratifica.

2. Nel caso che una delle Alte Parti Contraenti consideri che sono mutate radicalmente le circostanze nelle quali si è stipulato il presente Accordo, sarà dato inizio a trattative al fine di aggiornarlo.

Firmato a Sarajevo, l'8 aprile 2010, in due originali, ugualmente autentici, ciascuno in lingua bosniaca, croata, serba e italiana.

PER LA SANTA SEDE	PER LA BOSNIA ED ERZEGOVINA
Arcivescovo Alessandro D'Errico	**Dott. Selmo Cikotić**
Nunzio Apostolico	**Ministro della Difesa**
✠ *Alessandro D'Errico*	*Selmo Cikotić*

Conventione inter Sanctam Sedem et Bosniam et Herzegoviam rata habita, die XIV *mensis Septembris anno* MMX *ratihabitionis instrumenta accepta et reddita mutuo fuerunt in Civitate Vaticana; a quo die Conventio vigere coepit ad normam articuli* XIII *eiusdem Pactionis.*

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

FOROLIVIEN. - BRITTINOREN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Clarae Seraphinae a Iesu Farolfi (in saeculo: Franciscae), fundatricis Sororum Clarissarum Franciscalium Missionarium a Sanctissimo Sacramento (1853-1917)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Ite et amorem Iesu eucharistici succendite et omnibus afferte. Vosmetipsas sanctificate, dein alios. Et semper magna caritate utimini*».

Testamentum spiritale Servae Dei Mariae Clarae Seraphinae a Iesu (in saeculo: Franciscae Farolfi), his in ultimis verbis eius collectis, mira virtute exprimit fervorem contemplationis et ardorem missionis, quos ipsa tamquam pretiosam hereditatem novae familiae religiosae e corde eius suscitatae et in uberi Sancti Francisci arbore innisae relinquere voluit.

Serva Dei, tertia ex novem filiis, in vico Tussiniano apud Forum Cornelii, prope Bononiam, die 7 mensis Octobris anno 1853 nata est. Ad fontem baptismalem insequenti die regenerata, nomina sumpsit Franciscae Angelae Iustinae Birgittae. Die 18 mensis Aprilis anno 1861 Confirmationis et biennio post Primae Communionis aucta est sacramentis.

In familia profunda christiana pietate informata primariam recepit institutionem, iam inde a pueritia toto corde mandatis adhaerens fidei ac praesertim fervidam vitam eucharisticam colens cotidiana sacrificii Missae participatione innisam. Tantus eius fervor adeo in dies excrevit, ut verus spiritus missionis, quo postea fundationis tempore ipsa enituit, in ea adhuc puella, quae modo decimum agebat aetatis annum, pateret, cum sibi propositum erat, infantili iucunditate impellente, ad missiones effugendi, sicut

scripto ipsa testata est in Memoriis suis affirmans: « Iam inde ab aetate rationis vocatio ad vitam religiosam actuosae conversationis mihi immissa est, cum totum cor exinde inundabatur desiderio iuvenibus serviendi et missionibus operam suppeditandi ».

Ad hanc ardentem iuventutis provehendae voluntatem perficiendam, Serva Dei titulum academicum magistrae adepta est, ut naviter in apostolatum apud scholas exercendum incumberet, et simul, incommodis quibusdam superatis a familia eius intermissis, Foro Livii inter Sorores Tertii Ordinis Sancti Francisci a Sancta Elisabeth ingressa est, quae tunc collegium pro puellis administrabant.

Anno 1874 ad novitiatum admissa est et die 28 mensis Octobris anno 1875 professionem religiosam emisit, nomen sumens Seraphinae ab Inflammato Corde Iesu. Serva Dei, cui iam gubernatio collegii commissa erat, coniungere valuit necessitates vitae religiosae muneribus laboris, in quo mox singulares virtutes ostendit magistrae, peculiaribus etiam officiis summae utilitatis pro illius scholasticae institutionis augmento fungens. Sed ob nimia laboris munera, necnon ob caeli hostilitatem et monasterii vitae austeritatem, valetudo eius severe ruit: Soror Seraphina enim gravi typhoidi febri correpta est, e qua mire liberata est anno 1878, Beati Pii Papae IX intercessione, qui tunc temporis nuper occubuerat. Insequentibus tamen annis alii quoque morbi valetudinem eius minati sunt.

Opus autem pro puellis instituendis a Serva Dei susceptum adeo in dies auxit, ut alia collegia aperire oporteret, anno 1881 Palagani et anno 1891 Balnei Romaniolae.

Molestae vero dissensiones intra fraternitatem principem, sicut et invidiae in locorum adiuncta Ecclesiae infensa irrepentes, exortae sunt, quae summum prosecutionis discrimen in Collegium Foroliviense conflaverunt. Mense Iulio anni 1893, ut opus suum ex calamitatibus eriperet, Soror Seraphina una cum octo sociis atque omnibus educandis, quae locus erat salubrior atque hospitio magis idoneus, in Abbatiam Sanctae Mariae de Urano apud Brittinorum, prope Forum Livii, se traiecit.

Tempus autem passionis nondum expleverat. Nam, Dominus, quem Serva Dei una cum sociis susceptura erat, novum apostolatum lavacro novo quoque emundari disposuit. Hominum dissensionibus perseverantibus, pro longo temporis intervallo, quod ipsa « vicennale martyrium » nuncupavit, Soror Seraphina numquam firmam spem dimisit, sed, aliorum eximiis spiritualibus dotibus suffultorum coadiuvante consilio, ardenter discernere exquisivit

voluntatem divinam, cui omni animi firmitate fidelis permansit. Humilitatis atque officii spiritu, Serva Dei pro obtrectatoribus suis orabat et omnibus invigilabat adiunctis, ut caritatem desideriumque suum omnibus benefaciendi ostenderet.

Die 1 mensis Maii anno 1898, sub praesidio Beatae Mariae Virginis Matris Pulchri Amoris, Soror Seraphina, octo sociae eius et quinque novitiae professae sunt Regulam Sanctae Clarae Assisiensis in manibus Episcopi Brittinorensis. A die illa initium capiebant Clarissae Sancti Francisci Missionariae a Sanctissimo Sacramento, quae in Ecclesia, Sancta Clara duce, munus exercerent ipsius Sanctissimae Virginis missionis persequendae, scilicet ut vita ac operibus Iesum eucharisticum praedicarent et mundo Christum communicarent ubique terrarum orbis nomen eius conclamantes, usque ad remotissimas gentes, apud quas omnes se conferre recusabant.

Iamiam viribus infracta corpore, sed spiritu corroborata, Serva Dei, pietate suipsius filiarum circumfusa, mane die 17 mensis Iunii anno 1917 in Abbatia Brittinorensi pie in Domino quievit.

Hanc ob celebratam Servae Dei sanctitatis famam a die 1 mensis Maii anno 1968 ad diem 23 mensis Augusti anno 1970 apud Curiam Brittinoriensem Beatificationis et Canonizationis Causa inita est per celebrationem Processus Ordinarii, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 23 mensis Iunii anno 1995 probatae sunt. *Positione* confecta, die 24 mensis Februarii anno 1998, iuxta consuetudinem, in Congressu Consultorum Historicorum et die 15 mensis Iunii anno 2007 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 28 mensis Octobris anno 2008, audita relatione Excellentissimi Domini Petri Iacobi De Nicolò, Archiepiscopi titularis Martanaënsis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei Mariam Claram Seraphinam a Iesu (in saeculo: Franciscam) Farolfi virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae*

Clarae Seraphinae (in saeculo: Franciscae) Farolfi, fundatricis Sororum Clarissarum Franciscalium Missionariarum a Sanctissimo Sacramento, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

MEDIOLANEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Henricae Alfieri (in saeculo: Mariae Angelae), Sororis professae Congregationis Sororum a Caritate Sanctae Ioannae Antidae Thouret (1891-1951)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« *Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: in carcere eram et venistis ad me* » (cf. *Mt* 25, 34.36).

Nuntium hoc Evangelii singulari vigore vitae ac spiritualitati Venerabilis Servae Dei Henricae Alfieri personat, cuius indolis secretum, quod animum cuiuscumque ei obveniret percutiebat, oblationi cordis omnino Deo consecrati inest.

Serva Dei, prima ex quattuor filiis, Burgi Vercellarum die 23 mensis Februarii anno 1891 nata est. Ad fontem baptismalem ducta, nomen sumpsit Mariae Angelae. Pueritiam degit profunda institutione christiana suffultam et scholam primariam frequentavit, usque ad adulescentiam domestica officia laboribus ruris alternans ac praesertim arte sutoria eximie praecellens.

Super suavitatem naturae fortitudine haud destitutam profunda insevit intellegentia fidei, cuius signa vocatione ad vitam religiosam enituerunt. Nam, dum vicesimum primum aetatis annum agebat, die 20 mensis Decem-

bris anno 1911, monasterium Sanctae Margaritae Vercellense uti Postulans ingressa est Congregationem Sororum a Caritate Sanctae Ioannae Antidae Thouret — e cuius Instituto vitae consecratae amitae duae et una consobrina vota iam emiserant — nomen accipiens Henricae.

Iuvenem Sororem illam Superiorissae iam ad institutionem tradendam peculiariter promptam agnoverunt. Quapropter, post novitiatum studia magistralia ipsa aggressa est et, votis pro tempore professis, uti institutrix in scholam quandam maternam Vercellis missa est. Valetudinis tamen causa, anno 1919 coacta est, ut scholam desereret et, licet in eadem urbe commorans, apud Domum Provincialem migraret, Superiorissae actuariae fungens munere, quod autem, adhuc ingravescente salute, nullomodo exercere valuit, cum degenerans spondylorum inflammatio acerrime obrepsisset, quae eam diutina immobilitate super lectum quadriennio adstrinxit.

Ex eo tempore vita Sororis Henricae admodum passionis signata videtur, quam quidem privilegii instar a Iesu benigne concessi, ut ipsi arctius adhaereret, habuit. Hac in dolorosa via Calvarii signa praecipua eius spiritualitatis emicuerunt, videlicet participatio Passionis Christi per Crucem, fidelitas amoris atque suipsius laeta oblatio ad voluntatem Domini.

Anno 1924 ineunte, Soror Henrica adeo exanimis dicta est, ut Viaticum eidem ministraretur. Die vero 25 mensis Februarii, cum infandas inter poenas ac tormenta potiunculam aquae de Lapurdensi crypta perductae bibisset, vocem quandam interiorem animadvertit atque e lectulo doloribus et paralysi intacta improviso surrexit. Tanto patrato miro, Superiorissae, ne ostentationes religiosae exaltationis iam per urbem irreptae exundarent, Sororem Henricam communitati religiosae destinaverunt, quae apud carcerem Sancti Victoris Mediolanensem strenuam navabat operam.

Illic patuit ei universum omnino novum, in quo Serva Dei fortitudine caritatis sustenta peregrinari valuit. Initium, ergo, angusto apostolatui dedit in oratione, labore et patientia instituto, lucem effundens fidei ubicumque tenebrae maligni superare viderentur ac spem christianam in corde derelictorum iugiter renovans. Sororem sese profiteri, enim, adeo ei erat relationem tamquam sponsalem cum Christo vivere, ut, cum Sponsa esset Christi, communicare aliis Sponsi voluntates quaereret. Quae causa et ratio fuerunt, quibus ipsa captivitati adstitit illi, omnium quidem contemptui atque abiectioni damnatae. Iuvenis religiosa multos annos mansuetudinem et hospitalitatem exercuit, cellas visitavit et captivis praesertim mulieribus aures, solacium ac spiritum praebuit. Assiduitas et dicta eius in ineluctabilibus

inquietudinis adiunctis saepius composuerunt diffuderuntque animos. Mense Augusto anni 1940 huius communitatis Superiorissa nominata est.

Saeviente bello, carcer ipse Sancti Victoris iniurias asseclarum regiminis nazistarum fascistarumque passus est et populus captivorum sic mutavit, ut, loco communium delinquentium, rei de delictis politicae ratione, iudaei, sacerdotes et religiosi dictaturae invisi viderentur. Carcer idem factus est ac campus detentionis, scilicet locus inquisitionis delatorum, corporis ac spiritus cruciatuum, calumniarum et profectionis ad campos excidii. Etiam his in mutatis adiunctis Soror Henrica cum sociis suis nihil praetermisit ut fratres persecutionem patientes defenderet medereturque ac, licet ferociae carnificum ei palam adversandum fuerit, opem captivis suppeditabat, curans simul, ut eriperent foras exquisita, quae magno usui omnibus periclitantibus fuerunt, ex quibus multi, eius meritis, vitam incolumem tuiti sunt.

Ingravescente adiunctorum vehementia, Soror Henrica una cum duabus comitibus occultae delationis crimine accusata apprehensa est et, in locum segregationis coniecta, dies angustiae degit, quos in oratione continua et cum conscientia bene gesti muneris vixit, imminentem capitis plumborum causa vel in Germaniam ad necem deportata exspectans sententiam. Beati Cardinalis Hildefonsi Schuster gratia, poena eius commutata est relegatione in vico Grumello ad Montem prope Bergomum apud nosocomium pro curis aegrotis psychice patientibus suppeditandis. Deinde, licentia autem ei concessa est, ut in Domum Provincialem Brixiensem commigraret, ubi, voluntati Superiorissae Provincialis ottemperans, Memorias comprehensionis et custodiae suae scripsit.

Bello confecto, Serva Dei ad carcerem Sancti Victoris regredi valuit, apostolatum sui Sororis a Caritate inter captivos resumens, quorum permulti antea eam etiam obtrectaverant. « Mamma Sancti Victoris », sicut familiariter carceris intus nuncupabatur, renovato studio ad magnum status captivorum in re ac spiritu refectionis opus se contulit. Benignitate sua omnibus miseris, qui aequitatem atque auxilium peterent, adfuit et curavit, ut multas misericordia Dei animas locupletaret.

Mense Septembris anno 1950, ruens femur fregit. Sanatione modo brevi gavisa est: asperrimo enim iecuris morbo correpta, tam exercito corde, tredecim post diebus consciae agoniae, die 23 mensis Novembris anno 1951, pie in Domino quievit. Nuntium mortis eius magno affectu ac commotione acceptum est et peculiari sonitu celebratum est a mediis communicationis. Exsequiis eius ingens religiosarum, civilium ecclesiasticarumque auctorita-

tum et laicorum cuiusvis ordinis multitudo interfuit, quae clarum testimonium praebuit extraordinariae eius famae.

Hanc ob celebratam Servae Dei sanctitatis famam, quae iam tempore vitae in mundo effulserat ac post mortem increvit, a die 30 mensis Ianuarii anno 1995 ad diem 20 mensis Aprilis anno 1996 apud Curiam Mediolanensem Beatificationis et Canonizationis Causa inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 13 mensis Decembris anno 1996 probatae sunt. *Positione* confecta, die 6 mensis Martii anno 2008, iuxta consuetudinem, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu, disceptatum est an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Novembris anno 2009, audita relatione Excellentissimi Domini Andreae Mariae Erba, Episcopi emeriti Veliterni - Signini, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei Henricam (in saeculo: Mariam Angelam) Alfieri virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Henricae (in saeculo: Mariae Angelae) Alfieri, Sororis professae Congregationis Sororum a Caritate Sanctae Ioannae Antidae Thouret, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pii XII (Eugenii Pacelli) Summi Pontificis (1876-1958)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina » (*Ier* 3, 15).

Sanctos inter et sapientes pastores, quos Spiritus Sanctus Dei Populo dedit, haud dubie Summus Pontifex Pius XII est recensendus, qui, divinum Pastorem vestigiis sequens, Ecclesiae humanaeque familiae magna caritate et sollicitudine, vasta doctrina, evangelica prudentia et plena erga munus illi divinitus commissum fidelitate inserviit.

Hic sacerdos magnus Romae natus est die 2 mensis Martii anno 1876, secundus inter filios, a parentibus Philippo Pacelli et Virginia Graziosi; sequenti die baptismatis aqua ablutus est, nomina assumens Eugenii Mariae Iosephi.

Vitam evolvit apud familiam normis fidei suffultam et mutuis amoris rationibus praestantem.

Divinam ad sacerdotium persentiens vocationem, philosophica et theologica studia peregit et die 2 mensis Aprilis anno 1899 sacro presbyteratus ordine est insignitus; deinde studia perrexit, quibus expletis doctoris titulis in theologia et « in utroque iure » est cumulatus.

Praeclaris ingenii dotibus, officii conscientia eiusque actuositate perpensis, Benedictus XV anno 1914 Secretarium Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis eum constituit, nuper agentem tantummodo octo et triginta aetatis annos.

Anno 1917 nominatus est Nuntius Apostolicus in Bavaria, titulo addito Archiepiscopi Sardiani; episcopali ordinatione ab ipso Benedicto XV die 13 mensis Maii eiusdem anni auctus est. Anno 1920 factus est Nuntius Apostolicus apud Germanum regimen vulgo *Reich*. Extremis annis primi belli mundialis et periodo quae cladem Germaniae est secuta, Servus Dei materialia et spiritualia caritatis opera sparsit in beneficium gentis et militum captivorum, idcirco hominum bonae voluntatis existimationem ac venerationem sibi conciliavit. Duodecim annis, quos in Germania degit, post diuturnas et onerosas negotiationes, potuit incitare fidem credentium atque aestimationem palam

extollere erga Ecclesiam ex parte eorum qui prius indifferentes vel immo hostiles sese gesserant.

Hi eximii huius Nuntii exitus induxerunt Pium XI ut eum Romam arcesseret, die 16 mensis Decembris anno 1929 Cardinalem constitueret et die 7 mensis Ianuarii anno 1930 suum nominaret Secretarium Status. Quod officium Servus Dei exsecutus est usque ad obitum Pii XI, qui evenit die 10 mensis Februarii anno 1939, postquam efficax fideleque praestiterat illi servitium inter difficiliores periodos recentis historiae Ecclesiae.

Brevissimo volvente Conclavi, electus est Summus Pontifex, assumens nomen Pii XII die 2 mensis Martii anno 1939; statim maximopere nisus est ut alterius belli mundialis initium vitaret; hi tamen conatus frustra verterunt, sicut etiam nisus ut Italia longe a bello maneret.

Hac immani perdurante conflagratione, victimarum dolores pro viribus sublevare contendit; instituit Officium Vaticanum de Notitiis ferendis, ad dispersos quaerendos inter milites ceterosque cives, nec non Pontificiam Operam Assistentiae ad subveniendum illis qui fame et vita extremae paupertatis affligebantur; saepe admonuit bellum gerentes ut incolas cives servarent, et, futuro prospiciens tempori, notissimos habuit sermones radiophonicos, quibus nota reddidit principia quae attinebant ad venturum ordinem internationalem iustitia nisum, veluti praeviam condicionem ad pacificum convictum tutandum inter nationes atque reverentiam hominibus praestandam, quae necessaria sunt ad internum instituendum ordinem uniuscuiusque status.

Etiam memoratu digna sunt ea quae Pius XII fecit pro Hebraeis, qui a nationalibus socialistis insectabantur. Ipse bene noverat iteratas et flagrantes oppugnationes publicas, quae ne quidem vitam unius Hebraei servavissent, secus enim, contulissent ad acuendam et augendam persecutionem, et hac de causa impedivissent illam absconditam et silentem operam auxiliatricem, per quam ille vitas milium hominum stirpis Hebraeae in tuto collocare potuit. Nec est obliviscendum quanta pro omnibus Pius XII fecerit, praesertim germanica urbis Romae grassante obsidione, quamobrem iure meritoque honorifice «defensor civitatis» appellari meruit.

Altero bello mundiali composito, Pius XII pleramque suae activitatis partem insumpsit in sustentandis catholicis, quibus magis in dies crescentes adversabantur hostilitas et oppressio apud nationes communistas Europae orientalis, nec non in vitanda diffusione marxismi athei apud mundum

liberum. Eodem tempore favit conatibus peractis ad coniunctam Europam constituendam.

Magisterium doctrinale Summi Pontificis Pii XII constituit praecipuam eius actionis pastoralis partem; etenim recensentur quadraginta Litterae Encyclicae ab Ipso vulgatae: agitur de documentis diversis scientiae theologicae et actuositatis Ecclesiae. Praecipue memoranda sunt opera eius in re biblico-theologica de vita et doctrina Ecclesiae, in re liturgica et missionaria, in laicali actuositate, in spiritualitatis sacerdotalis et religiosae renovatione.

Magni gaudii causae Pio XII fuerunt Iubilaeum anni 1950, nec non dogmatis Assumptionis Beatae Mariae Virginis sollemnis proclamatio habita die 1 mensis Novembris eiusdem anni post diuturnos annos quibus studia peracta sunt omnesque orbis Episcopi consulti; item inventio sepulcri Sancti Petri post excavationes quas ipse Pontifex praescripserat.

Eius sollemnioribus actibus magisterii accedunt centeni sermones, qui collecti continentur multis voluminibus collectionis inscriptae « Discorsi e Radiomessaggi di Pio XII », in quibus magna cum peritia innumeras tractavit quaestiones de re morali, de iure, de medicina, de scientiis naturalibus, de cultura, de arte et ita deinceps, semper intendens affirmare quod Ecclesia favere cupit omni humanae actuositati et notum reddit eam recipere posse ac debere impulsiones vitales fidei in Deum, hominum mundique Creatorem, et ipsam vicissim fide ditari.

His hactenus dictis addenda est cura quam habuit de Ecclesiis particularibus quibus cotidiana sollicitudine consulere consueverat, de Episcoporum nominatione, de nova dioecesium distributione, de internationali Collegii Cardinalium et Curiae Romanae indole, de Episcoporum indigenarum ordinatione, de publicis et privatis audientiis, de vastissimo cursuali commercio officii, ac de ceteris.

Si quis, elapsis decenniis, respicit diuturnum Pontificatum Pii XII, facere non potest quin stupens sese interroget quomodo fieri potuerit ut ille, valetudine licet non florida, tanta exsequi valuisset pro Ecclesia et hominum societate. Pius XII vir Dei erat, homo simplici et altissima fide praeditus, homo precationi deditus, qui cotidie in silenti adoratione coram tabernaculo quiescebat, ac praesertim per eucharisticam celebrationem cum Christo coniungebatur, et, Eius gratiae sese aperiens, in Ipso inspirationem, praesidium et fortitudinem reperiebat. Dehinc orta est eius inconcussa fiducia et spes in Deo, qui difficilioribus in diebus profunda eum cumulavit serenitate, quae

propria eius erat indolis; dehinc potissimum ditatus est amor eius erga Deum et, propter eius conformationem ad Christum (cfr *Rom* 8, 29) sollertia locupletatus quoque et caritate erga proximum cuiusque nationis, culturae, condicionis et stirpis. Dehinc insuper prodierunt eius profunda prudentia, acutus iustitiae sensus, fortitudo, sobrietas vitae omnino deditae sacerdotali et pastorali servitio singulis diei momentis et ita diuturnos per annos. Dehinc praeterea ortae, confirmatae et auctae sunt omnes virtutes adnexae, eius comis ac patiens, urbana et suavis erga omnes conversatio. Etenim, homo Dei erat, homo qui eminenti gradu omnes christianas excoluit virtutes. Nec sic de nihilo, omnes qui adibant eum in eo praesentiam Domini persentiebant, a quibus « Pastor Angelicus » cum honore meruit appellari.

Post diuturnam et operosam vitam, quam cum Christo coniunctus pro Ecclesiae humanaeque societatis bono insumpsit, Pius XII obiit die 9 mensis Octobris anno 1958.

Nec mirandum est cur Pius XII, sive vivens sive post obitum, authentica ac largiter diffusa sanctitatis fama gavisus sit, et quantum innumeri christifideles laetati sint cum Summus Pontifex Paulus VI die 18 mensis Novembris anno 1965, cum ad conclusionem fere vertebatur Concilium Oecumenicum Vaticanum II, notam reddidit decisionem suam promovendi Causam beatificationis et canonizationis eius Decessoris.

Deinde secuti sunt Processus Ordinarius apud Vicariatum Urbis constructus et Rogatoriales in Curiis celebrati Ianuensi, Monacensi et Frisingensi, Varsaviensi, Lisbonensi, Matritensi, Montisvidei, Berolinensi, in quorum cursu complures auditi sunt testes et innumera documenta collecta. Exarata *Positione*, disceptatum est, ut de more, utrum Servus Dei virtutes gradu heroico exercuerit. Die 27 mensis Ianuarii anno 2006 et die 6 sequentis mensis Octobris habitus est, favente cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 8 mensis Maii huius anni 2007 congregati, Ponente Causae Exc.mo D.no Salvatore Fisichella, Episcopo tit. Vicohabentino, agnoverunt Servum Dei heroicum in modum theologales, cardinales eisque adnexas virtutes esse exsecutum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia,*

Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pii XII (Eugenii Pacelli), Summi Pontificis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

AQUEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Clarae Badano, Christifidelis Laicae (1971-1990)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Dei Serva Clara Badano in oppido Sassello prope Savonam, dioecesis Aquensis, ortum habuit die 29 mensis Octobris anno 1971, postquam parentes undecim per annos exspectaverant eam. Amanter erudita est ad christianam fidem. Die quo primum accessit ad Sacrum Convivium obtinuit librum Evangeliorum, qui ex omnibus pulcherrimum exstitit donum. Aiebat enim: « Quemadmodum alphabetum faciliter discere possum, ita quoque Evangelium vivere potero ». Novem annos nata, participare coepit Motum quem dicunt Focularinorum, quorum proposito omnino annuit, suos quoque parentes paulatim attrahens. Cum septemdecim aetatis ageret annos, lacerans dolor in tergo sinistro, post inquisitiones et chirurgias incassum adhibitas, improviso detegere fecit osteosarcoma, quod initium illi exstitit viae crucis per duos fere annos protrahendae. Etsi certior de diagnosi, Clara non flevit nec ad rebellionem ducta est. Modus sese gerendi hisce constanter inspiratus est verbis: « Iesu, ego quoque desidero quod tu desideras ». Quamvis acutissimas inter curationes versaretur, nullo umquam tempore subridere destitit; quinimmo, omnes circumstantes participes reddebat eiusdem Amo-

ris, quo vita eius replebatur. Sive cubiculum valetudinarii Taurinensis sive domesticum habitaculum mutata sunt in sedes consessus, apostolatus et unitatis: ecce illius ecclesia! Clara sese paravit ad extremum occursum cum Christo, nuptialem vestem seligendo et ritum exsequiarum suarum praeordinando: exoptabat enim ut momentum illud festum fieret in quo nemo flere posset. Eucharistico pane postremum refecta, adstantes hortata est ut sequentem funderent invocationem ad Spiritum Sanctum: « Veni, Sancte Spiritus, et emitte caelitus lucis tuae radium! »; et albescente die 7 mensis Octobris anno 1990, post noctem valde vexatam, in Domino obdormivit. Decretum super virtutibus die 3 mensis Iulii anno 2008 editum est.

Ad eius quod attinet beatificationem, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum summisit coniectam miram sanationem iuvenis Andreae Bartole, qui primo mane diei 14 mensis Iunii anno 2001 vomitionem et acutam febrim pati incepit. Valetudo eius citissime in deterius est delata; febris plurimum auxit et post meridiem Andreas insanire coepit. Medicus diagnosim fecit de vehementi apparitione signorum clinicorum, prout sequuntur: hyperpyrexia, pustularum diffusio et sanguinis indicia in saliva; quamobrem statuit ut patiens in valetudinarium Tergestinum statim transferretur. Licet curationes sint adhibitae, valetudinis condicio labentibus horis ulterius gravabatur, eo quod interim novae sunt exortae pathologiae, ita ut in duorum dierum spatio iuvenis in vitae discrimine versaretur.

Attenta adeo gravi valetudinis condicione, ut exitus prorsus infaustus videretur, familiares patientis catenam precationum promovere coeperunt a Domino flagitantes donum sanationis Andreae per intercessionem Venerabilis Servae Dei Clarae Badano. Precationes inceperunt die 17 mensis Iunii anno 2001, tempore nempe spiritualis secessus sodalium Focularinorum Ianuensium: centum circa personae his choralibus precibus interfuerunt. Inde ab initio huius incepti, significata sunt indicia quaedam recuperationis infirmi, et quinque post diebus subitanea orta est inversio processus clinici, simul cum mirabili fausta inflexione illius gravissimae complexionis pathologicae et cum regressione ad normam rerum ad criteria et valores attinentium.

Congruentia chronologica evidens exstat et connexio quoque inter invocationem ad Venerabilem Servam Dei et sanationem Andreae, qui in praesens bona utitur valetudine ac normalem relationis vitam gerere potest.

Circa huiusmodi sanationem, quae mira iudicata est, apud Curiam dioecesanam Tergestinam a die 19 mensis Aprilis ad diem 29 mensis Septembris anno 2004 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam validitatem

agnovit haec Congregatio per Decretum editum die 13 mensis Decembris anno 2006. Medicum Dicasterii Consilium in Sessione habita die 15 mensis Ianuarii anno 2009 edixit sanationem celerem fuisse, perfectam, et constantem, necnon sub hodiernis legibus medicis inexplicabilem. Die 20 mensis Maii anno 2009 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, quorum favens sententia die 15 mensis Decembris anno 2009 confirmata est a Patribus Cardinalibus et Episcopis in Ordinaria Sessione congregatis, Ponente Causae Exc.mo D.no Andrea Erba, Episcopo emerito Veliterno-Signino.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Clarae Badano, Iuvenis Laicae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione iuvenis Andreae Bertole a « Grave stato di shock settico sepsi meningococcica, sindrome di ARDS complicata da broncopolmonite basale destra, sindrome DIC, insufficienza renale acuta, manifestazioni cutanee petecchiali ed emorragiche con tendenza a confluire ematomi generalizzati e sofferenza ipossiemica generalizzata, sofferenza del sistema nervoso centrale diffusa ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris anno Domini 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

EPOREDIEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Antoniae Mariae Verna, fundatricis Instituti Sororum Caritatis ab Immaculata Conceptione v. d. « d'Ivrea » (1773-1838)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« *Hoc in opere peculiaria perspicio signa supernae Providentiae* ».

Infinita fides in divina Providentia, quam humilis Serva Dei Antonia Maria Verna vita et operibus professa est, his propheticis verbis ab ipsa ad Episcopum Eporediensem relatis summopere personat.

Serva Dei in vico Paschario de Ripariolo Canavensi prope Eporediam in regione Pedemontana die 12 mensis Iunii anno 1773 e rustica locupleti familia felicis condicionis solidisque christianis praeceptis informata nata est et ipsa ortus die ad fontem baptismalem ducta per sacramentum regenerationis Christo incorporata.

In tranquillitate familiaris vitae infantiam degit serenam: simplicis impigraeque fidei exemplo parentes dulcedinem orationis eam docuerunt et ad actuosam vitae paroecialis navitatem direxerunt ac puella vero animum benignum, ingenium vividum, indolem expeditam atque cor mite et misercors mox pandit.

Iam inde a prima aetate Antonia Maria, quae amabiliter puerorum parvum agmen a matribus asperis agrorum operibus occupatis ipsi commissum omni studio et curis respiciebat, puellarum institutioni aegrotorumque curis, eo tantum ut omnes in Deum adverteret, sese statuit consecrari. Dum decimum sextum aetatis annum agebat aetatis, votum virginitatis emisit, e quo Congregationis religiosae fundandae iam trahere incepit afflatum.

Spiritu Sancto duce, alacritate fidei Serva Dei temporum signa legere valuit, qui ea praesertim tempestate profundis humani cultus et coevae societatis mutationibus laborabantur, atque plurium aberrationum in defectu institutionis ac patenti in ignorantia deprehendit causam. Paschario itaque Ripariolum migravit, parvum iuvenum mulierum coetum sibi socians, quae ipsius mentem ac proposita communicabant. Licet adultae iamiam aetatis, Scholam a Iesu in vico Sancto Georgio Canavensi frequentare voluit, ut ad missionem educationis sese compararet.

Anno 1806, licentiam « Recessum » pro Filiabus a Caritate sub tutela Immaculatae Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis constituendi primitus

petiit. Hunc Matris Dei titulum fundatrix singulari cultu prosecuta est, delegit et filiabus suis commostrare voluit tamquam fontem « salvificae Christi caritatis » participationis. Diutina hinc vicissitudo iniit, quae indulgentem Servae Dei divinae voluntati animi docilitatem patefecit, necnon profundum spiritum fidei et orationis et firmissimam operis post frustrationes resumendi constantiam. Nam, licet post multiplices ambages tantum et viginti duo annos dissensionum et discordiarum, Regias Licentias, quae Institutum eius religiosum recognoverunt, adepta est.

Anno 1830, nova vero prorupit procella, cum in Pedemonte multa Instituta religiosa mulierum consociare temptatum est. Quod Antoniae Mariae gravissimum et acerbissimum fuit onus, quod omnia evertere videbatur et Institutum nuper fundatum pertrahere, ut in aliud cum indubia genuini fervoris amissione conflueret. Serva Dei autem silere maluit ac legitima iura seponere: orationem corroboravit, impensius supernae Providentiae, cui opus suum commendaverat omne, fidem excoluit et etiam per humiliationes et tribulationes eventus prudentia sapientiaque rexit, ut oriens eius Congregatio naturam et lineamenta sua cum instantiis temporum consentanea servaret.

Die 27 mensis Novembris anno 1835, Institutum nomine « Sororum a Caritate sub tutela Sanctissimae Conceptionis Beatae Mariae Virginis » nuncupatum ab Episcopo Eporediensi approbatum est.

Imago spiritualis Servae Dei, etiam inter contentiones, magis magisque ad maturitatem usque crebruit, quae ferventi suipsius oblatione Domino in oratione magnaque suavitate ac benignitate servitii summopere pandebatur.

Anno 1837, duas Sorores, quae asylum pro pueris Riparioli fundandi receperant mandatum, Mediolanum misit, ut recentissimas paedagogiae vias et rationes ubique paulatim incedentes apprehenderent. Die 17 mensis Iulii eiusdem anni, enim, apud Recessum Sororum primum in Pedemonte asylum puerorum ortum est.

Hoc in loco fundatrix ultimos annos vitae degit puerorum curae puellarumque institutioni dedita, semper ad Sorores prompta supplendas, quae apostolatui infirmorum pauperumque exterius attenderent. Humilis ac tenera eius praesentia exemplo et verbo instaurationem communitatis religiosae post acerbos iniquitatum annos vivificavit. Eximium testimonium vitae religiosae in sinceritate et cohaerentia consummatae praebuit. Extremae Servae Dei admonitiones ad filias crucifixus, tabernaculum, Immaculata Virgo et corona marialis: « Ecce, arma vestra — inquit — turres vestrae fortitudinis, verum solacium vestrum ».

Corpus eius, licet firmae valetudinis, tantis difficultatibus iam infractum viribus, gradatim frangi incepit, ut, fere inopinato, die 25 mensis Decembris anno 1838, dum campanae concinebant Missam in Nativitate Domini nuntiantes, Antonia Maria, fletu concivium suis circumfusa, qui innumeri exsequiis interfuerunt, testimonium praebentes ipsius sanctitatis, domum caelestem Patris repeteret.

Hanc ob celebratam Servae Dei sanctitatis famam a die 6 mensis Aprilis anno 1937 ad diem 20 mensis Martii anno 1939 apud Curiam Eporediensem Beatificationis et Canonizationis Causa inita est per celebrationem Processus Ordinarii. Cum de Causa antiqua ageretur, anno 1963 peculiaris Commissio Historica constituta est ad utilia documenta perquirenda. Decretum validitatis tandem die 10 Iulii anno 1992 editum est.

Positione confecta, die 20 mensis Februarii anno 2009, iuxta consuetudinem, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Novembris anno 2009, audita relatione Excellentissimi Domini Marcelli Semeraro, Episcopi Albanensis, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei Antoniam Mariam Verna virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Antoniae Mariae Verna, fundatricis Instituti Sororum a Caritate Immaculatae Conceptionis de Eporedia seu vulgo dictarum « d'Ivrea », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

TRECEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Brisson, Sacerdotis fundatoris Oblatorum et Oblatarum S. Francisci Salesii (1817-1908)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Effectus praesentiae vestrae in anima mea iam leniter perspicio. Filii Dei estis, qui adoptionem meam revocabitis ad rectitudinem, per quos fideliter iam conclamare possum "Abba, Pater!". Et Deum meum non amplius iudicem tremendum reputabo, sed Patrem erga fratrem caritate plenum et filiis eius amicum*».

Haec verba Venerabilis Servus Dei Aloisius Brisson meditationi tradebat prope finem longae vitae suae conscripta, summum et confisum suum divinae Providentiae propositis obsequium resignans.

Servus Dei die 23 mensis Iunii anno 1817 ortus est Planceii in Gallia, solus natus e familia solidae traditionis christianae. Pueritiae tempore, institutionem sensim ad disciplinas rationales proclivem recepit, quas, tamquam semen, annorum decursu excoluit, sed mox peculiaria signa vocationis ad sacerdotium in eo prodierunt. Dum decimum et quintum aetatis annum agebat, in Seminarium Minus Trecense receptus est ac postea in Maius, ubi pietatis vita intellectusque dotibus supereminuit. Die 19 mensis Decembris anno 1840 presbyteratu auctus est. Dein, infirmae quoque valetudinis causa, religionis scientiarumque naturalium magister nominatus est apud scholam Sororum a Visitatione et Seminarium et, anno 1843, eaedem religiosae ministerium etiam cappellani et confessoris communitatis ipsi concrediderunt. Quo munere quadraginta annos Servus Dei functus est, conversationem spiritualitate Sancti Francisci Salesii ostendens enutrita, necnon humilitatem, simplicitatem urbanitatemque morum heroum modo exercens. Cum res ita se haberent, Superiorissa monasterii, Mater scilicet Maria Salesia Chappuis, impense eum sustulit, ut Congregationem sacerdotum fundaret, qui iuxta excellentissimi Genevensis Episcopi illius spiritualitatem viverent.

Anno 1857, Episcopus Trecensis Servum Dei Consociationi Catholicae Sancti Francisci Salesii pro fide a grassantibus doctrinis tuenda, quae in illo tempore omnem transcendentiae notionem respuebant, praefecit. Cum tanti Instituti moderator esset dioecesanus, plura iniit opera pro iuvenibus mulieribus opitulandis et operariis instituendis, quae innumerae in civitate tunc

praesertim modernae industriae navitati innisa degebant, ducibus transactis ipsius Congregationis a Visitatione alumnis, sicut Sancta Leonia Aviat, quae paulatim Oblatarum Sancti Francisci Salesii initia exseruerunt Instituti, anno 1890 a Summo Pontifice Leone XIII iure recogniti.

Insequentibus annis, dominus abbas Brisson alicuius Collegii dioecesani instaurandi accepit mandatum. His in adiunctis tempus comperit Providentiae illud, quod iamdiu ipse opperiebatur ac Mater ipsa Maria Salesia Chappuis praenuntiaverat venturum. Collegium Sancti Bernardi, vero, est Congregationis Oblatorum Sancti Francisci Salesii incunabula factum, anno 1887 postremo approbatae.

Alacri ministerio presbyterali Servus Dei eximiam vitam orationis coniunxit: Eucharistia, enim, culmen fuit conversationis eius et assiduae cotidianaeque gloriae Dei eiusque sanctae voluntatis exquisitionis. In eo primatus spiritualitatis instar actionis pastoralis fontis et causae constanter emicuit. In ministerium spiritualis moderationis fidelium animos ad eandem suam intimitatem cum Christo experiendam atque ad eius virtutes imitandas in fidelitate erga Summum Pontificem universalisque Magisterii praecepta retulit.

Anno 1878, tempus peregrinationis Servi Dei in mundo institit difficillimum multiplices ob dissensiones cum Auctoritate dioecesana, quae haud parum poenae animo eum excruciaverunt. Numquam autem Pater Brisson caritatis officio erga Episcopum defuit, semper, etiam pugnacibus in angustiis, se gerens in eum moderatum ac temperantem, parcum ac sincerum. Opportuna Apostolicae Sedis intercessio concordiam inter Episcopum et Servum Dei reconciliavit, qui adeo constanti sollicitudine atque intima indulgentia usus est, ut Summus Pontifex Leo XIII in audientia eum alloqueretur, dicens: « Oh, Pater Brisson, vere es homo pacis! ».

In novum vero asperrimum certamen Servus Dei eiusque opera incurrerunt, cum, primis undevicesimi saeculi a Domini nostri Iesu Christi adventu annis, leges variae, quas Respublica interdum prodiderat, Congregationes puerorum iuvenumque institutioni et Verbi Dei praedicationi deditas, possessionibus earum a Statu proscriptis, dilabi obstrinxerunt. Patres Oblati, praelecto exsilio, Galliam deseruerunt, ne ad saeculum revocarentur. Dominus abbas Brisson, quamvis sueta animi aequitate voluntati Dei se commendaverit, iam senex et viribus impar spirituale auxilium filiis suis in Domino praestando, secedere maluit in natalem humum Planceium, ubi actuosam utriusque Congregationis directionis navitatem excepit atque altissimam vixit intellegentiam Crucis, quam renovata fide in Domino expertus est.

Summe corpore infractus et morbis laborans, Servus Dei Aloisius die 2 mensis Februarii anno 1908 pie in Domino quievit, antiqui prophetae pietati illud adiungens «Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum» (cf. *Lc* 2, 29-30).

Ob celebratam Servi Dei sanctitatis famam, quae iam tempore vitae in mundo effulserat et post mortem adhuc increvit, die 11 mensis Februarii anno 1938 apud Curiam Trecensem Beatificationis et Canonizationis Causa inita est per celebrationem Processus Informativi, qui, interposita belli causa mora, ad conclusionem pervenit die 15 mensis Decembris anno 1949, cuius auctoritas et vis iuridica, post Supplementum Processuale a die 8 mensis Iulii anno 1963 ad diem 13 mensis Ianuarii anno 1964 celebratum, a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei 6 mensis Octobris anno 1995 probatae sunt. *Positione* confecta, die 25 mensis Novembris anno 2005, iuxta consuetudinem, in Congressu Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessionibus Ordinariis diei 2 mensis Octobris anno 2007 et diei 29 mensis Septembris anno 2009, receptis necessariis enodationibus ex parte Postulatoris auditaque relatione Excellentissimi Domini Francisci Croci, Episcopi titulo Potentini in Piceno, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei Aloisium Brisson virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Aloisii Brisson, sacerdotis et fundatoris Oblatorum et Oblatarum Sancti Francisci Salesii, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

INTERAMNEN. - NARNIEN. - AMERINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iunii Tinarelli, Viri Laici sodalis Piae Unionis Primariae «Silentes a Cruce Operarii» (1912-1956)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Quisquis Domino omnino sese commendat, amplius nec patitur, nec crucis sibi commissae amplius percipit pondus, sed quod passiones sapiat gaudet, se iuxta Iesum affigi cruci laetatur*».

Vivida haec verba a Servo Dei Iunio Tinarelli litteris commissa mirum eius intellectum gratiae informant, qui salvifico dolori Redemptoris eum sociavit.

Servus Dei Interamnae in Umbria die 27 mensis Maii anno 1912 ortus est, tertius ex operariorum familia natus. Ad baptismalem fontem die 2 mensis Iunii anno 1913 ductus, nomina Iunium Antonium Iosephum recepit. Adulescentiam degit oratorium iuvenum Sancti Gabrielis a Virgine Perdolente frequentans, ubi humana et spiritualis eximia institutio, qua enutritus est, omnes annos eum fulsit. Dominus Iosephus Lombardi, fundator et animator oratorii, ei fuit feliciter inventus amicus, pater et tristibus in angustiis magister. In Pentecoste anni 1923 ad eucharisticas dapes accessit et sacramentum Confirmationis suscepit.

Dum decimum tertium aetatis annum agebat, Iunius operam incepit exercere primum uti discipulus typographicae artis, dein mechanicae, ac demum apud industrias ferramentarias civitatis suae natalis assumptus est. Consuetudine aliorum operariorum capta, qui haud infrequenter sensibus motibusque Ecclesiae infensis pervadebantur, nullo timore retentus iuvenis Actionis Catholicae socii testimonium simplicitatis morum et difficultatum consensus praebuit, qui, laborem tamquam gratiam reputans, exemplo suae conversationis omnes summopere praecipiebat.

Christianae familiae generandae cupidus, viginti unum annos habens cum iuveni muliere solitus est. Dominus, autem, in reconditis suae voluntatis aliam viam sanctificationis Servum Dei ambulare disposuit. Nam, prima signa funesti morbi se ostendere coeperunt, scilicet polyarthritidis anchyloticae seu motuum articulationum totius corporis amissionem provocantis, quae etenim eum prorsus invalidum reddidit. Post legitimam animi defectio-

nem, iuvenis fidenter periculum oppetere valuit, novam fulgidioremque aetatem vitae reserens.

Sponsalibus diremptis, desiderio sensum doloris comperiendi eumque vivificandi flagrans, Beatae Mariae Virgini se consecravit. Oblitus sui, donum sanationis iam non efflagitavit, quam fortitudinem potius novae condicionis tamquam suipsius pro mundo immolationis amplectendae. Peregrinationibus quibusdam ad marialia sanctuaria Laureti, Regis, Oropae et Lapurdi adiit, benigno saepius sub auxilio consociationis illius, cui nomen « Unio Nationalis Italica pro Aegrotis Lapurdum et ad Sanctuaria Internationalia Transvehendis » seu « U.N.I.T.A.L.S.I. », cuius vexilli ortui Interamnae potissime favit. Anno 1949, apud cryptam Lapurdensem fundatorem Silentium a Cruce Operariorum, Servum Dei Dominum Aloysium Novarese, provide oppetiit. Consonantia spiritualitatis cum eo plene percepta, alacri animo eidem Consociationi adhaesit, in ea vota religiosae consecrationis die 1 mensis Novembris anno 1951 emittens.

Exinde, Servi Dei spiritualitas penitus altior facta est ac praesertim remissio culparum, conversio peccatorum, subsidium Ecclesiae et Summo Pontifici et confirmatio sacerdotum, qui praecipue mole difficultatum laborati essent, fecit verum specimen mira sollicitudine ab ipso circumspectum, quod oratione ac voluntaria poenarum oblatione tenaciter contendit.

Fulgidum exemplum laici consecrati, Iunius aequo ac ridenti vultu infirmitatem suam permensus est, quam in valentiam reformare valuit, sicut et humiliationem in constantem cum Domino gloriae coniunctionem.

Amor Domini Dei ex vultu eius non per sapientiam verborum translucebat, sed per simplicitatem animi et gestus. Quisquis enim eum visitabat, solamen reperiebat et lucem interiorem, ipsum agnoscens verum spei praeconem.

Die 8 mensis Septembris anno 1952, Servus Dei sese a Summo Pontifice Pio XII in audientia recipi gavisus est, e quo donum specialis benedictionis et coronae marialis tulit, quam devotissime usque ad mortem servavit. Nulla manifesta ingravescente valetudine, die 14 mensis Ianuarii anno 1956 in Domino diem obiit.

Ad nuntium eius vita excessus turba ingens Interamnensium concurrit, ut tantum salutaret virum et exsequiis quoque interesset. Tredecim post annos corpus eius, singulari populi multitudinis comitatu, translatum est et in Cathedrali Interamnensi inhumatum.

Ob sanctitatis famam, quae iam tempore vitae in mundo effulserat et post mortem adhuc increvit, a die 4 mensis Maii anno 1983 usque ad diem 12 mensis Decembris anno 1988 apud Curiam Interamnensem-Narniensem-Amerinam Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 15 mensis Martii anno 1996 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, die 26 mensis Iunii anno 2009, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 15 mensis Decembris anno 2009, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Marcelli Semeraro, Episcopi Albanensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Iunii Tinarelli, laici, socii Piae Unionis Primariae Silentium a Cruce Operariorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

CRACOVIEN.

Canonizationis Beati Stanislai Kazimierczyk, sacerdotis professi Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium (1433-1489)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Stanislaus Sołtys — melius sicut Stanislaus Kazimierczyk notus, quia natus in Kazimierz in suburbio Cracoviae die 27 mensis Septembris anno 1433 — e familia quadam medii gradus socialis bonam accepit humanam christianamque formationem. Ad religiosam vocationem a Deo vocatus, in Ordinem Canonicorum Regularium Lateranensium acceptus est, atque, votis nuncupatis, sacerdos ordinatus est. Mandatum deinde accepit praedicatoris et confessarii in ecclesia Corpori Christi dicata, dum sua in communitate religiosa munus vices gerentis moderatoris, magistri novitiorum et adiutoris theologiae exercuit. Beatus, qui maxime a confratribus et fidelibus aestimabatur, ministerium cum zelo plenaque deditione adimplevit, peculiari cum sollicitudine erga pauperes et aegrotos. Vita eius spiritalis devotione erga Sanctissimum Sacramentum eminuit, nec non speciali veneratione erga Virginem Mariam atque austeritatis vitae studiisque perfectionis plaeclara dedit specimina. Eius praedicatio, simplex et essentialis, ita multos attrahebat, ut etiam ex finitimis regionibus cuiusque ordinis socialis fideles ad eum audiendum venirent. Die 3 mensis Maii anno 1489 in Kazimierz pie in Domino obiit. Die 21 mensis Decembris anno 1992 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Decretum confirmationis cultus *a tempore immemorabili* promulgavit atque die 18 mensis Aprilis anno 1993 sollemni celebrationi eius beatificationis praefuit.

Canonizationis intuitu, Postulatio Causae examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam tradidit miram sanationem cuiusdam nobilis Poloni Petri Komorowski, qui anno 1600, forsitan post infectionem traumaticam, in militari actione oculum amisit dexterum atque, quibusdam transactis annis, etiam altero oculo captus est. Ob dolorem coactus est ut aegrotantem partem fascia substringeret. Patiens, credens et beatum Stanislaum diligenter colens, eius adiit in ecclesia Corpori Domini dicata sepulcrum, eius implorans intercessionem ut a gravissima sanaretur infirmitate. Duobus exactis diebus, die 17 mensis Maii anno 1617, evenit, cum quadam mutatione anatomica et functionali oculi sinistri, inopinata sanatio cum omnium gravis morbi indiciorum dissolutione, sine usu peculiaris curationis. Evidens exstat congruentia temporis atque nexus inter invocationem ad Servum Dei et Petri

Komorowski sanationem, qui, postea, optimam habuit valetudinem atque multos per sequentes annos suetam duxit relationis vitam et maioris momenti administrationis munera exercuit.

Accurate expletis historicis inquisitionibus circa hanc sanationem miram, apud Curiam Archidioecesanam Cracoviae Inquisitio dioecesana a die 22 mensis Septembris anni 1995 ad diem 29 mensis Februarii anni 1996 est instructa, cuius iuridica validitas per Decretum diei 25 mensis Octobris anno 1996 a Congregatione de Causis Sanctorum est approbata. Die 21 mensis Ianuarii anno 2008 singularis Dispensatio Pontificia *a tempore miraculi patrati* permisit ut haec sanatio adhiberi canonizationi curandae posset. Consilium Medicorum Dicasterii in sessione die 23 mensis Aprilis anno 2009 habita, agnovit sanationem directam diuturnamque fuisse atque suetum usum oculo sinistro redditum esse; quod sub luce scientiae medicae est inexplicabile. Die 8 mensis Iulii anno 2009 Congressus habitus est peculiaris Consultorum Theologorum, cuius positivus exitus in Sessione Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum die 29 mensis Septembris anno 2009, audita sententia Ponentis Causae Excellentissimi Domini Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, est confirmatus.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, positio dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem beati Stanislai Kazimierczyk, Sacerdotis Professi Ordinis Canonicorum Lateranensium, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione Domini Petri Komorowski a "esofalmo acuto doloroso dell'occhio sinistro, in paziente monocolo".*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A.D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

TAURINEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Quadrio, sacerdotis professi e Societate Sancti Francisci Salesii (1921-1963)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe*» (*1 Pt* 3, 15).

Haec beati Petri Apostoli adhortatio idoneum ad intellegendam vitam et opus spirituale Servi Dei Iosephi Quadrio esse potest exordium, qui totam vitam impendit, praesertim vero in munere magistri, quo enituit, mysterii Dei pulchritudine demersus, ad veritatem divinam, quam ut intimius amplectaretur et aliis diligenter tradere posset perquisivit, cum fide et humilitate summopere accedens.

Venerabilis Servus Dei Iosephus Quadrio Vervii prope Sondrium in Italia die 28 mensis Novembris anno 1921 e modesta agricolarum familia christiana pietate penitus informata natus est, ex qua solidam humanam et religiosam institutionem recepit. Infantiam in scholae assiduitate, in doctrinae christianae studio, in liturgicarum celebrationum participatione et in rusticis operibus degit. His in rerum adiunctis, humilitate atque ima evangelica pietate suffultis, puer Iosephus expressam iam animadvertit peculiarem inclinationem ad religiosam vocationem. Prima Eucharistica Communio, quam nonum aetatis annum agens percepit, et voluntarium votum perpetuae castitatis, quod cum undecimum annum implevit privatim professus est, in honorem Beatae Mariae Virginis emissum, huius praecipui atque impensi spiritualis provectus denotaverunt initium.

Vix duodennis, Servus Dei, postquam Sancti Ioannis Bosco vitam et opera legerat, domino Aloysio Sartorio parocho suscitante, apud Institutum Missionale Salesianum Eporediense se recipi postulavit, ubi enim mense Septembri anno 1933 pervenit: quod paulatim fervens eius desiderium, iam inde ab infantia tempore processum omnino omnesque per annos Domino inserviendi perfecit. Insequentibus annis, professionem religiosam temporariam Iosephus emisit ac dein in studia philosophiae et theologiae sollicito animo incubuit; perpetuis demum votis professis, die 16 mensis Martii anno 1947 prebsyteratu auctus est. Exitus studiorum dissertatio fuit ad Doctoratum assequendum de Assumptione Beatae Mariae Virginis, quam apud Pontificiam Universitatem Gregorianam in Alma Urbe disceptavit.

Illis institutionis annis, Servus Dei non modo severo intellectuali officio valde emicuit, sed etiam fervida pro iuvenibus belli causa vagis et derelictis pastorali navitate. Hac in actuosa diligenti opera erga iuvenes egenos et afflictos, Iosephus agentem efficacemque spiritum Fundatoris se adumbrare posse ostendit.

Munerum fastigium, quibus Servus Dei totam vitam functus est, Theologiae dogmaticae magisterium fuit: hic altus potissimusque cardo ipse exstitit et testis mirabilis Evangelii; in cotidiana vicissitudine vitae virtutem praestitit, qua officium suum religiosi, presbyteri et magistri profunda ac benigna suipsius abnegatione servare valuit, numquam otium seu requiem sibi concedens et consensum rationalis fidei investigationis cum actuosa theologia iugiter persectans.

Vita Servi Dei ex ardenti quadam mystica intellegentia etiam hausit, acuta notione de primario Christi ac Matris Dei loco in historia salutis signata. Omnis eius conversatio constans fuit intentio ad sanctitatem atque ad exercitium modo heroum omnium christianarum virtutum. Dominus Iosephus, enim, omnibus in adiunctis benignum, familiarem et hospitalem se exhibuit. Licet universali scientia, praesertim theologica, eruditus, humilitate, simplicitate et mira morum humanitate insignem se praebuit. Summum ab ipso traditum praeceptum praesertim in decursu eius ultimi morbi patuit: nam, die 4 mensis Iunii anno 1960, post aliquot signa aegritudinis, diagnosis ei patefacta est tumoris granulosi maligni glandularum lymphaticarum. Servus Dei autem nuntium hoc funestum renovato fidei impetu accepit, qui eum virtutibus decoris et tranquillitatis animi honestabat, quas per omne acerbae huius probationis insequens triennium retinuit. Aspera enim infirmitas aequo vultu et iugi misericordiae Dei fiducia suscepta in eo aditus spiritualis fortitudinis, praemii supremi et sacrificii pro necessitate fratrum facta est.

Temporibus quoque recessus in valetudinario, Servus Dei Iosephus numquam ministerium praeteriit, quin etiam visitabat fovebatque aegrotos et medicos, infirmorum ministros atque omnes nosocomii servitio addictos cohortabatur. Receptaculum eius verum consistorium fuit ut ad Evangelium accederet, consolationem exciperet et remissionem peccatorum adipisci quaereret.

Dies protinus ante mortem dominus Iosephus pro pulcherrimis faustissimisque habuit: exemplo suo testimonium praebuit mortem omnium non esse finem, sed exspectatum reditum ad Christum. Pace et tranquillitate circumfusus, Servus Dei, quadraginta et unum annos natus, die 23 mensis Octobris

anno 1923, Augustae Taurinorum pie in Domino quievit. Quae conscia misericordiae Dei fiducia vixit, et in cordibus multorum firmam persuasionem eum plenae ac perfectae sequelae Evangelii fuisse testem mors reliquit.

Hanc ob sanctitatis famam a die 21 mensis Ianuarii anno 1991 usque ad diem 10 mensis Novembris anno 1993 apud Curiam Taurinensem Inquisitio dioecesana principalis et a die 2 mensis Octobris anno 1991 ad diem 18 mensis Iulii anno 1992 apud Vicariatum Urbis Inquisitio Rogatorialis celebratae sunt, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 24 mensis Iunii anno 1994 probatae sunt. *Positione* ex more confecta, die 5 mensis Iunii anno 2009, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 1 mensis Decembris anno 2009, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum modo coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Iosephi Quadrio, sacerdotis professi e Societate Sancti Francisci Salesiii, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Canonizationis Beatae Iuliae Salzano, fundatricis Congregationis Sororum Doctrinae Christianae Institutricum a Sacro Corde (1846-1929)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Iulia Salzano, in urbe *S. Maria Capua Vetere* prope Casertam die 13 mensis Octobris anno 1846 nata, cum patre orbata esset, apud orphanotrophium a Sororibus Caritatis rectum in pago *S. Nicola La Strada* (CE) vulgo nuncupato humanitate ac religione imbuta est. Doctrinae non minus quam familiae adeo fuit devinctissima, ut, studiis summa cum diligentia laudeque perfectis, statim promota sit ad munus ludi magistrae puerulis elementariis instituendis in schola publica civitatis Casoriae prope Neapolim exercendum. Cum autem constanti ac sincero animo fidem vivendo experiretur, doctrinam in ludo traditam catechesi enarrandae cumulare instituit, neque solos pueros, verum etiam cuiusvis aetatis condicionisve adultos homines, velut futuri temporis praenuntia, sedule docuit et amore Beatae Virginis et Sacratissimi Cordis Iesu, cuius fuit propugnatrix assidua, inflammavit. Propter pretiosum cathecheseos donum a Spiritu eidem concessum, Beato P. Ludovico de Casoria suadente, Congregationem Sororum Doctrinae Christianae Institutricum a Sacro Corde condidit, in qua vitam consumpsit principium, quod sibi proposuerat, explicando: « quamdiu vel tenui filo vitae pendebo, praecepta Christi tradam ». Die denique 17 mensis Maii anni 1929 sancte religioseque vita functa est. Beatificationis ritum Ioannes Paulus II, Pontifex Maximus, die 23 Aprilis anni 2003 peregit.

Optatae canonizationis proposito, Causae Postulatio prudenti huius Congregationis de Causis Sanctorum iudicio prodigialem, quam ferunt, sanationem subiecit dominae Mariae Gratiae Pelliccia, Afragolae prope Neapolim die 6 Novembris 1952 natae, quae Neapoli anno 2005 mirum in modum consanuisse dicitur. Cum enim in raeda gubernanda adverso casu graviter afflictata esset, comatis statu extremum iam spiritum Neapoli in valetudinario a *Cardarelli* nuncupato ducebat propter plurima vulnera et laesiones complures, quae illa secutae, vitalia in corpore sauciaverant, ut medici existimaverunt. Cum autem res in peius verterent propter insufficientem respirationem, medici, qui interea suffusionem pleuricam cum vulnere arteriae magnae invenerant, aegrotam mechanicae, ut aiunt,

ventilationi subici iusserunt, sed, cum post secationem chirurgicam in extremis deliberatam res pessime se haberent, desperata ab omnibus femina existimata est. Cor enim, quod cessaverat micare, ne post secationem quidem suo munere denuo functum est.

In his aerumnis, nonnulli fideles, neque solum ii, qui cognationis vinculo essent d.nae Mariae Gratiae devincti, verum etiam amici familiaresque devoto amore ducti a Domino postulaverunt, ut, beata Iulia Salzano intercedente, sanationis gratiam dilectae illi aegrotae concederet. Cum enim in paroecia soleret Maria Gratia catechesim tradere, ad Beatam illam, quam propter ardorem apostolicum « catechistarum matrem » appellant, confugiendum esse pii fideles duxerunt. Paucis autem post diebus Maria Gratia in salutem visa est redire, neque illa modo e comatis sopore expergefacta est, verum etiam, ratione quidem inexplicabili, perinde quolibet neurologico defectu atque vulnerum vestigiis carebat, quae in hominibus graviter sauciatis permanere solent. Brevi autem e valetudinario dimissa est. Ut dilucide apparet, temporum convenientia atque nexus intercedit inter invocationem Beatae Iuliae et Mariae Gratiae sanationem, quae nunc optime valet et omnia, quae in omnium dierum vita ac relationibus fiunt, recte compositeque peragit.

De hac prodigiali, quam contendunt, sanatione apud Curiam Archidioecesanam Neapolitanam diebus a 21 mensis Iunii ad 21 mensis Decembris anni 2007 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius vim ad normam iuris haec Congregatio Decreto die 11 mensis Ianuarii 2008 lato agnovit. Consilium Medicorum a Dicasterio constitutum, in sessione die 28 mensis Maii 2009 habita, declaravit sanationem fuisse subitaneam, plenam, mansuram, inexplicabilemque iuxta cognitiones, quibus nunc Medici pollent. Die 15 mensis Septembris 2009 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum celebratus est, quorum responsum affirmativum die 1 mensis Decembris anni 2009 Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati confirmaverunt, Causae Ponente Exc.mo D.no Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi. Et in utroque, Consultorum et Cardinalium Episcoporumque, Coetu, posito dubio, an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Iuliae Salzano, Fundatricis Congregationis Sororum Doctrinae Christia-*

nae Institutricum a S. Corde, videlicet de celeri, perfecta atque constanti sanatione dominae Mariae Gratiae Pelliccia a «gravissimo politrauma toraco-addominale, con rottura intempestiva sottoavventiziale della aorta toracica intraoperatoria, per pseudo-aneurisma post-traumatico, con emorragia massiva e gravissima ipotensione arteriosa inferiore a 40 mmHg e conseguente arresto cardiaco della durata di 20 minuti».

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A. D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Pauli II (Caroli Wojtyła) Summi Pontificis (1920-2005)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«*Ego sum vitis vera, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum*» (*Gv* 15, 1. 5).

Verba haec Iesu in Sancti Ioannis Evangelio relata, personam Servi Dei Ioannis Pauli II peculiarem in modum perstringunt. Vox «fructus» nobis exhibet sanctitatem vitae semper fidelis Dei voluntati eiusdemque amori. Haec enim fidei caritatisque firmitas integram Servi Dei vitam collustrat.

Servus Dei Carolus Iosephus Wojtyła die 18 mensis Maii anno 1920 in urbe v. d. Wadowice in Polonia e familia solidis humanis christianisque praeceptis penitus informata natus est. Praecox mors matris maiorisque fratris profunde animum pueri affecit, qui autem firma et sincera fide fervidae pietati navitatique religiosae innixa suffultus, aequo animo tanta tristia obire valuit.

In lycaeo usque ad annum 1938 studiis superioribus, quibus ac praesertim in studiis humanitatis eminuit, peractis, Cracoviam Servus Dei cum patre suo migravit, ubi facultati Philosophiae Universitatis Studiorum Jagellonicae nomen dedit et circulum scaenicum assidue frequentavit.

Altero mundano bello grassante, quo tempore Polonia a Germanis nazistis est invasa, omnia athenaea scholaeque sunt praeclusa, itaque Servus Dei, ob lugendam mortem patris solitudine affectus, ad labores coactus est, primum ut operarius apud fodinas petrarias, dein apud officinam chimicam.

Hoc eodem angustiarum ambagisque tempore, Servus Dei vocationem ad sacerdotium ardenter animadvertit. Proinde, anno 1942, studia Theologiae apud Seminarium clandestinum Cracoviense iniit et ab anno 1944 una cum aliis eiusdem Seminarii discipulis ab Excellentissimo Domino Stephano Sapieha in Palatio Archiepiscopali ferventer exceptus est, quo maiore securitate, quiete et tranquillitate institutionem theologicam pergeret.

Die 1 mensis Novembris anno 1946, presbyteratus ordine auctus est ac statim in Urbem ad perficienda Theologiae studia missus. Anno 1948, doctoratum in Sacra Theologia adeptus, in Poloniam rediit, ubi coadiutoris paroecialis et cappellani Universitatis simul munera assumpsit. Anno 1953, studia Philosophiae in Universitate Catholica Studiorum Lublinensi renovavit et titulo doctoris atque munere libere docendi ornatus est. Extemplo ei officium magistri Theologiae Moralis et Ethicae apud Seminarium Maius Cracoviense commissum est, sicut et apud eandem Facultatem Theologiae Lublinensem.

Summus Pontifex Pius XII, veneratae memoriae, die 4 mensis Iulii anno 1958 Episcopum titularem Ombiensem et Auxiliarem Cracoviensem eum nominavit. Die 28 insequentis mensis Septembris, consecrationem recepit ab ipso Archiepiscopo Cracoviae, Excellentissimo Domino Eugenio Baziak, cuius pastorali officio die 13 mensis Ianuarii anno 1964 successit. Hoc tempore, Servus Dei variis Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani Secundi actuose interfuit sessionibus, ubi gradatim mira eius et firma indoles emicuit, praesertim cum operam navaret in Constitutionem *Gaudium et Spes* redigendam.

Summus Pontifex Paulus VI eum Cardinalem Sanctae Romanae Ecclesiae in Consistorio die 26 mensis Iunii anno 1967 creavit. Illis annis, Servi Dei opera navitate humani cultus et pastoralis curae, necnon altercationibus disputationibusque cum Polono regimine communistarum enituit: cum civilis auctoritatis obsequio coniunxit fiduciam atque audaciam evangelici nuntii. Firmiter conscius se esse pastorem et ducem animarum, ac fidem habere

radicitus constitutam, exemplo Christi compulsus, pro bono populi sibi commissi omnino sese tradidit.

Paulo VI e vita erepto et post brevem pontificatum Ioannis Pauli Papae I, Servus Dei ad Petri Sedem die 16 mensis Octobris anno 1978 electus est. Qui dies initium exstitit pontificatus peculiari ministerio intensi ob innumeras peregrinationes et frequentem dialogum, simul significantioribus gestibus, compluribus inceptis propheticis praeceptisque magisterii.

Servi Dei pontificatus exordia iam iamque aerumnae vexaverunt. Die 13 mensis Maii anno 1981, enim, graviter in insidiis vulneratus est. Quod autem acerrimum discrimen adeo mira animi oppetiit fortitudine, ut oculis omnium, etiam fide carentium, verus ipse videretur ductor, qui Ecclesiam atque humanitatem in tertium millennium perducet instans praecipuas fidei, spei et caritatis virtutes.

Per diutinum Pontificatum profundo spiritu fidei circumfusum aperte se ostendit, quo omnibus in consiliis ineundis, tam in minimis cotidianis actionibus quam summis in decretis ad ministerium Petrinum attinentibus, ductus est. Universa eius terrestris exsistentia, filiali pietate erga Sanctissimam Virginem insignita, caritatem absolutam in Christum illustravit, necnon Evangelii praepollens testimonium quibus pulchritudinem et laetitiam fidei christianae in lucem protulit. Eius exemplum sequentes multi viri mulieresque ad Dominum convertuntur et ad fidem propius accedunt.

Extraordinariam Servus Dei audaciam et fortitudinem quoque exhibuit, praesertim in multis controversiis et discriminibus gerendis. In animo eius percipi possunt spiritus orationis constans, ingens amor erga Eucharisticam cotidianam celebrationem, caritas erga proximum vere heroum modo et universaliter exercita, necnon vigil ingenium sublevandi innumeras universae humanitatis tribulationes. Semper excellenti modo promptum ac munificum se praebuit.

Hic Dei Servus extremis vitae annis adversa valetudine est afflictus: iam senio confectus et corporis viribus infractus, usque ad extremum ministerium exercuit, universo orbi verum catecheseos compassionis tradens specimen, quam pro Christi et Ecclesiae amore vixit et obtulit. Testimonium perhibitum tempore praesertim lugendae infirmitatis ubique per terrarum orbem famam diffusam excitavit eius sanctitatis.

Ad domum Patris Servus Dei rediit die 2 mensis Aprilis anno 2005, sanctitatis fama unanimiter circumfusus.

Hanc ob sanctitatis famam, dispensatione a tempore quinque annorum exspectationis post mortem a Summo Pontifice Benedicto XVI concessa, a die 28 mensis Iunii anno 2005 ad diem 2 mensis Aprilis anno 2007 apud Vicariatum Almae Urbis Causa Beatificationis et Canonizationis instructa est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae principalis. Duae Inquisitiones Rogatoriales peractae sunt, scilicet Cracoviae a die 4 mensis Novembris anno 2005 ad diem 1 mensis Aprilis anno 2006 et Novi Eboraci a die 31 mensis Iulii ad diem 15 mensis Augusti anno 2006, quarum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 4 mensis Maii anno 2007 probatae sunt. *Positione* confecta, iuxta suetum morem, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum, duplici habita sessione die 13 mensis Maii et die 30 mensis Iunii anno 2009, prospero cum exitu disceptatum est an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset.

Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 16 mensis Novembris anno 2010, audita relatione Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Salvatoris Fisichella, Archiepiscopi titularis Vicohabentini, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Archiepiscopum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico Servi Dei Ioannis Pauli II (Caroli Wojtyła), Summi Pontificis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 19 mensis Decembris A.D. 2009.

✠ Angelus Amato, S.D.B.
Archiep. tit. Silensis, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
Archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Benedictus Pp. XVI, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 20 Augusti 2010. — Cathedrali Ecclesiae Briocensi, R. D. Dionysium Moutel, e clero dioecesis Nannetensis, ibique hactenus Vicarium Generalem.

die 24 Augusti 2010. — Cathedrali Ecclesiae Flaviobrigensi, Exc.mum P. D. Marium Iceta Gavicagogeascoa, hactenus Episcopum titularem Alavensem et Auxiliarem dioecesis Flaviobrigensis.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

I. PROVISIO ECCLESIARUM

Benedictus divina Providentia PP. XVI, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 9 Ianuarii 2010. — Titulari episcopali Ecclesiae Lemfoctensi, R. D. Ioannem Mariam Vianney Prida Inthirath, hactenus Parochum et Rectorem Seminarii Maioris Savannakhetensis, quem constituit Vicarium Apostolicum Savannakhetensem.

die 19 Ianuarii 2010. — Titulari episcopali Ecclesiae Itensi, R. D. Gabrielem Edoe Kumordji, S.V.D., hactenus Praefectum Apostolicum Donkorkromensem, quem constituit Primum Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

die 20 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Turudensi, R. D. Woldeghiorghis Matheos, hactenus Directorem spiritualem Seminarii Maioris Soddensis-Hosannensis, quem constituit Primum Vicarium Apostolicum Soddensem-Hosannensem.

die 25 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Puppitanae, R. D. Monfort Stima, hactenus Vicarium generalem archidioecesis Blantyrensis, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Tzaneensi, R. D. Ioannem Noé Rodrigues, e clero dioecesis Vitbankensis, hactenus Curionem paroeciae S. Cordis Iesu in oppido vulgo Ackerville.

— Cathedrali Ecclesiae Chuncheonensi, Ecx.mum R. P. Lucam Kim Woon-hoe, hactenus Episcopum titularem Vadesitanum et Auxiliarem archidioecesis Seulensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mozotcoritanae, R. D. Eusebium Alfredum Nzigilwa, e clero archidioecesis Daressalaamensis, olim Rectorem Seminarii Minoris Sanctae Mariae in oppido vulgo Visiga, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Daressalaamensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sutunurcensi, R. D. Salutarem Melchiorem Libena, e clero dioecesis Mahengensis, hactenus Professorem et Directorem spiritualem Seminarii Maioris S. Pauli in oppido vulgo Kipalapala, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Daressalaamensis.

die 30 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Mailanensi, noviter conditae in Timoria, R. D. Norbertum Do Amaral, hactenus Cancellarium Curiae dioecesis Diliensis.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Uahiguyaënsi, R. D. Iustinum Kientega, e clero dioecesis Kuduguensis, hactenus Oeconomum eiusdem dioecesis.

die 15 Februarii 2010. — Episcopum coadiutorem Ondoënsem R. D. Iudam Arogundade, e clero dioecesis Ondoënsis, hactenus pastoralem exercentem navitatem in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis.

die 20 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Verapolitanae, Exc.mum R. P. Franciscum Kallarackal, hactenus Episcopum Kottapuramensem.

die 26 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Toamasinensi, Exc.mum R. P. Desideratum Tsarahazana, hactenus Episcopum eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Morondavensi, R. D. Mariam Fabianum Raharilamboniana, O.C.D., hactenus Superiorem provincialem Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo pro Madagascaria et Oceano Indico.

— Cathedrali Ecclesiae Uiiongbuensi, Exc.mum R. P. Petrum Lee Ki-heon, hactenus Ordinarium Militarem in Corea.

die 2 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Gingianae, Exc.mum R. P. Carolum Martinum Wamika, hactenus Episcopum titularem Tacapitanum et Auxiliarem dioecesis Tororoënsis.

die 18 Martii. — Archiepiscopum coadiutorem Rabaulensem Exc.mum R. P. Franciscum Panfilo, S.D.B., hactenus Episcopum dioecesis Alotaunae-Sideianae.

die 20 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tanaramusensi, R. D. Dominicum Kimengich, hactenus Vicarium Tribunalis dioecesani Nakurensis, quem constituit Auxiliarem dioecesis Loduarinae.

die 23 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Solveziensi, R. D. Carolum Kasonde, e clero dioecesis Ndolaënsis, hactenus Directorem Officii Nationalis pro Navitate Pastorali et Conferentiae Episcoporum Zambiae vices gerentem Secretarii generalis.

die 24 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Guruensi, R. D. Franciscum Lerma Martínez, Instituti Missionum a Consolata, hactenus Superiorem provincialem eiusdem Instituti religiosi in Regione Mozambicana.

die 25 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Corniculanensi, R. D. Ioannem de Dieu Raoelison, hactenus theologiae professorem Seminarii Maioris

regionalis in urbe Faliarivo (Antananarivi) nec non Conferentiae Episcoporum Madagascariae Secretarium generalem, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Antananarivensis.

die 27 Martii 2010. — Cathedrali Ecclesiae Bassam Maioris, R. D. Raimundum Ahoua, F.D.P., curatorem hactenus formationis tironum Seminarii Parvi operis Divinae Providentiae, olim missionarium in Kenia.

die 29 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Varriensi, Exc.mum R. P. Ioannem 'Oke Afareha, hactenus Episcopum titularem Minensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thisiduensi, R. D. Ioannem Mariam Vu Tât, e clero dioecesis Hung Hoaënsis, hactenus Vices gerentem Rectoris Seminarii Maioris Hanoiensis, quem constituit Auxiliarem dioecesis Hung Hoaënsis.

die 22 Aprilis. — Archiepiscopum Coadiutorem Hanoiensem Exc.mum R. P. Petrum Nguyên Văn Nhon, hactenus Episcopum dioecesis Dalatensis et Praesidem Conferentiae Episcoporum Vietnamiae.

die 29 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Thimidensi, R. D. Victorem Gnanapragasam, O.M.I., hactenus Praefectum Apostolicum Quettensem, quem constituit Primum Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cuiculitanae, R. D. Ioannem Baptistam Jung Shin-chul, hactenus Professorem et Cancellarium Universitatis Catholicae Incheonensis necnon Moderatorem dioecesanum pro Vocationibus, quem constituit Auxiliarem dioecesis Incheonensis.

die 30 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Samensi, R. D. Rogatum Kimaryo, C.S.Sp., hactenus Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis.

die 1 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Apisanensi, R. D. Carolum Mahuza Yava, Societatis Divini Salvatoris, olim Superiorem provincialem eiusdem Instituti religiosi in Africa, quem constituit Primum Vicarium Apostolicum Insularum Comorensium.

die 13 Maii 2010. — Cathedrali Ecclesiae Vinhensi, R. D. Paulum Nguyên Thai Hop, O.P., hactenus professorem ethicae et catholicae doctrinae socialis apud Institutum Dominicanum aliaque Instituta religiosa necnon Professorem apud Universitatem Status urbis Hochiminhopolitanae.

die 22 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Kalayensi, noviter conditae in Birmania, R. P. Felicem Lian Khen Thang, hactenus Episcopum titularem Fesseitanum et Auxiliarem dioecesis Hakhanensis.

die 28 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Oudtshoornensi, R. D. Franciscum Fortunatum De Gouveia, e clero archidioecesis Civitatis Capitis, hactenus curionem paroeciae Sancti Ioannis Evangelistae in oppido vulgo Fish Hoek.

die 29 Maii. — Episcopum coadiutorem Elobeidensem R. D. Michaelem Didi Adgum Mangoria, e clero archidioecesis Khartumensis ibidemque hactenus Rectorem Seminarii Nationalis S. Pauli.

die 31 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae a Litore Aureo, Exc.mum R. P. Matthiam Kobena Nketsiah, hactenus Episcopum titularem Abaradirensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 4 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Fesseitanae, R. D. Iosephum Son Sam-seok, hactenus Decanum Facultatis Theologiae Seminarii Maioris Pusanensis, quem constituit Auxiliarem dioecesis Pusanensis.

die 8 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Kimbensi, R. D. Villelmum Fey, O.F.M. Cap., hactenus Delegatum-Superiorem Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum in Papua Nova Guinea.

die 10 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Zarnensi, R. D. Franciscum Antonium Cebellos Escobar, C.Ss.R., hactenus Pro-Vicarium Vicariatus Apostolici Portus Carraniensis, quem constituit Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

die 11 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Muzucensi in Proconsulari, R. D. Celmum Lazzari, C.S.I., hactenus Vicarium generalem Congregationis S. Ioseph, quem constituit Vicarium Apostolicum Napensem.

die 21 Iunii. — Archiepiscopum coadiutorem Kotakinabaluensem R. D. Ioannem Wong Soo Kau, hactenus vices gerentem Moderatoris Anni Propaedeutici Collegii Sancti Petri in urbe Kuchingensi.

II. NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 5 Ianuarii 2010. — R. D. Ioannem Clementem Silvestrum Randrianaivozaka, Vicarium generalem dioecesis Antsirabensis, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis.

die 29 Ianuarii. — Exc.mum R. P. Thaddaeum Ntihinyurwa, Archiepiscopum Kigaliensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Kibungensis.

— Exc.mum R. P. Alexium Habiyambere, S.I., Episcopum Nyundoënsem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Ruhengeriensis.

die 30 Ianuarii. — Exc.mum R. P. Deodatum Watio, Episcopum Nkongsambensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Bafussamensis.

die 7 Februarii. — Exc.mum R. P. Ioannem Augustum De Groef, M. Afr., Episcopum Bethlehemensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Kroonstadensis.

die 26 Februarii. — Exc.mum R. D. Donaldum Iosephum Leonem Pelletier, M.S., Episcopum emeritum Morondavensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis usque dum novus Episcopus possessionem capiat.

die 6 Aprilis. — R. D. Emmanuelem R. Corcuera, Vicarium generalem dioecesis Vialembensis, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis.

die 11 Aprilis. — Exc.mum R. P. Franciscum Kallarackal, Archiepiscopum Verapolitanum, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Kottapuramensis.

die 15 Aprilis. — R. D. Rogatum Kimaryo, C.S.Sp., hactenus Administratorem Apostolicum "sede plena" dioecesis Samensis, quem constituit Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis.

die 17 Aprilis 2010. — Exc.mum R. P. Petrum Lee Ki-heon, Episcopum Uiiongbuensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" Ordinariatus Militaris in Corea.

— Exc.mum R. P. Paulinum Chukwuemeka Ezeokafor, Episcopum titularem Tetcitanum et Auxiliarem dioecesis Avkaënsis, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis.

die 13 Maii. — Exc.mum R. P. Paulum Mariam Cao Dinh Thuyen, Episcopum emeritum Vinhensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis usque dum novus Episcopus possessionem capiat.

— R. D. Danielem McCauley, S.M.A., Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" Vicariatus Apostolici Kontagorani.

die 27 Maii. — Exc.mum R. D. Paulum Dacoury-Tabley, Episcopum emeritum Bassam Maioris, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" eiusdem dioecesis usque dum novus Episcopus possessionem capiat.

die 29 Maii. — Exc.mum R. P. Sebastianum Shah, Episcopum titularem Tiniensem et Auxiliarem archidioecesis Lahorensis, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis in re oeconomica" eiusdem archidioecesis.

die 31 Maii. — Exc.mum R. P. Antonium Gbuji, Episcopum emeritum Enuguensem, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Urbis Beninensis.

die 17 Iunii. — R. D. Iosephum Ngole, Administratorem Apostolicum "sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis" dioecesis Berberatensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, 2 settembre, S. E. il Sig. Shimon Peres, Presidente dello Stato di Israele.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

1	settembre	2010	L'Ill.ma Dott.ssa Barbara Jatta, *Curatore delle Stampe presso la Biblioteca Apostolica Vaticana.*

NECROLOGIO

6	agosto	2010	Mons. Constantin Guirma, Vescovo em. di Kaya (*Burkina Faso*).
12	»	»	Mons. Jacques Faivre, Vescovo em. di Mans (*Francia*).
14	»	»	Mons. Mervyn Alexander, Vescovo em. di Clifton (*Gran Bretagna*).
17	»	»	Mons. Ricardo José Weberberger, O.S.B., Vescovo di Barreiras – BA (*Brasile*).
20	»	»	Mons. Louis Gaumain, O.F.M. Cap., Vescovo em. di Moundou (*Ciad*).
21	»	»	Mons. Alberto Ablondi, Vescovo em. di Livorno (*Italia*).
24	»	»	Mons. Acácio Rodrigues Alves, Vescovo em. di Palmares – PE (*Brasile*).
25	»	»	Mons. Youssef Mahfouz, Vescovo em. di Brasile dei Maroniti (*Libano*).
»	»	»	Mons. Jaime Prieto Amaya, Vescovo di Cúcuta (*Colombia*).
»	»	»	Mons. Maixent Coly, Vescovo di Zighinchor (*Senegal*).
27	»	»	Mons. Simone Scatizzi, Vescovo em. di Pistoia (*Italia*).
»	»	»	Mons. Marampudi Joji, Arcivescovo di Hyderabad (*India*).
30	»	»	Mons. Patrick Dougherty, Vescovo em. di Bathurst (*Australia*).
31	»	»	Mons. Jean-Marie Keletigui, Vescovo em. di Katiola (*Costa d'Avorio*).
1	settembre	»	Mons. Tomaz Pedro Barbosa da Silva Nunes, Vescovo tit. di Elvas ed Ausiliare di Lisbona (*Portogallo*).
2	»	»	Mons. Pedro Marcos Ribeiro Costa, Vescovo em. di Saurimo (*Angola*).